

Co: 17
Museum:
1815 t



Benedicti Gosvili

1684

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

TM 1157

Contenta:

Boccklini Orationes

Eygd. Program. Acad.


— Musaeum


— de scriptoribus graecis et


Latinis ab Homero ad 1600.

Theodor Mählmann

10. XI. 1995








JO. HENRICI
BOECLERI
MUSEUM

Ad Amicum.

Editio Secunda.



ARGENTORATI,
Apud SIMONEM PAULLI Bibliop.

clō lōc LXXII.

JOHANNES
BOMBERG
MAGISTER

Adm. Simon
Bomberg



MARGARET
Adm. Simon Pauli Bishop

die des LXII

M



MODESTUS

S.

Primum Musei specimen.

M O D E S T U S

Primum Aluei specimen




M
qu
de
ct
m
m
n
ta
ta
q
fo
p
e
r
a



I. N. I. C.

MUSEUM,

Ad Amicum.



Ostulas à me iam diu, vel flagitas potius, vt summam eius sermonis, cuius te inter communes amicos ordiendi principem fuisse memini, de *Museo Alexandrino*, accuratius paulo atque vberius literis velim explicare. Equidem nulla me ab hoc incepto desidia hactenus retardauit. quid enim est, quod malim, quàm homini amicis suis tam amico per omnia obsequi? Sed eruditionem tuam, & ingenium omni reconditæ sapientiæ elegantiâ perpolitum cogitanti, in mentem venit genus scripturæ, quod antiquitatis quandam speciem referret, Urbem describeret, Museum suis partibus dimetiretur, viros colligeret; eorum ingenia, studia, institutas de variis rebus disputationes, consilia, opera, non alia, quàm quæ priscis temporibus con-

A 3

ueni-

uenire videretur, imagine consignaret. Iam contexendi per volumina in iustam magnitudinem operis artes animo conceperam, cum nostræ respectus ætatis, cuius vtilitati & disciplinæ vnice talis exempli obtentu consulendum vterque statueramus, reuocare me ab inito itinere ac interpellare cœpit. Quàm erant enim multa & præclara, quæ veterum ritum moribusque informata, ne attingere quidem nostra & nostros viderentur? Quid? quod de sapientiæ ac prudentiæ officii præcipere volenti, quem locum Tullius vix leuiter perstrinxit, ab insolentia certe sæculi temperandum est. In republica etiam & omni vitæ consuetudine, tanta sæpe commutatio rerum facta est, vt ad speciem atque vsurpationem vetustatis non nisi obscure constitui & adumbrari, nedum exprimi, possint. Neque vero defraudanda erat nostra ætas sua laude: cuius incuriosos sane dixeris, qui Alexandrinum Museum anteferre non vereantur illi Musarum delubro, quod in Galliæ vrbe principe *Puteani Fratres*, comparanda cum omnium sæculorum ætatibus nomina, cunctis ingenii

genii ac doctrinæ virtutumque monu-
mentis ad opinionem orbis terrarum
gentiumque consecrarunt. Quid de
singularis exempli Regina dicam, quæ
non suo magis nomine quàm tali insti-
tuto semper celebrabitur? Hæc illu-
strium omnis & sui æui animarum, non
ad memoriam magis in Bibliotheca,
quàm ad colloquia & vsum domesticum
in Regia concilium coëgit: hæc, tan-
quam Minerua aliqua, non ex fabulis sed
ex meritis commemoranda, quicquid
est in literis interioribus ac reconditis
præclari, quicquid in moribus hominum
& ingenio abditi ac retrusi, explorare iu-
dicio, videre animo, auctoritate mode-
rari, inter occupata tempora sua, cum ef-
set muneris & negotii regii diligentissi-
ma, otii sui negotiolum habuit. In hæc
exempla sæpe oculos adiiciam, & in aula
Regia, aut Puteanorum in sacrario me
constitutum, ibi augustos maximæ Prin-
cipis sermones venerari, hic simulacrum
præsidis sapientiæ loco sancto dedica-
tum suspicere putabo. Neque minus
hoc tamen Museum, quod molior, col-
lectis aliunde imaginibus ornare fas erit.

Igitur, quo id constitui velim, locum à me frustra requires. Faciam enim, quod architecti solent, vt expressa forma, quale sit futurum ædificium, animaduerti possit, si quis velit loco, qui maxime idoneus videbitur, imitari. Pleraque autem ex vero hausta, & ad rei gestæ fidem exacta, quæ hic afferentur, haud ægre deprehendent, qui in huius generis rebus, vulgo quidem ignoratis neglectisque, non sunt peregrini & hospites. Cetera eo forte in numero, eoque in loco habenda iudicabis, vt egregiorum virorum personas, vel cogitata vel disputata non decedere videantur. Interea tua me humanitas in spem prope certissimam impellit, fore, vt scribendi vices, in amplioris proposito operis suscipere, & in idem curriculum descendere ne graueris. Hoc autem in libro, quæ Modestus loco natus honesto, & magna virtutis indole præditus adolescens, in Museo viderit audiueritque, exponentur.

Peruenerat is ad eam ætatem, quæ perceptis disciplinis iisque artibus, quibus instrui mature ac erudiri ad rem publicam accessuri debent, intelligendis obser-

observandisque, si cura & ratio adhibea-
tur, magnis & hominibus & negotiis suf-
ficere existimatur. Cumque incredi-
bili adeundi Musei cupiditate teneretur,
hac inter cetera lege dicta acceptaque
domo est profectus, vti, quid in illo do-
ctrinarum omnisque elegantiae templo
rerum geri, disceptari, agitari cognouis-
set, id omne accurate literis traditum
perscriptumque conseruaret ac referret.
Satis animaduvertebat Modestus, hoc
praeepto, & fructum suae peregrinatio-
nis, & spem ac rudimentum futuri tem-
poris contineri. Quapropter eos insti-
tuebat commentarios, eas subinde ad
necessarios amicosque missitabat literas,
vnde & animus, qui postea in gerenda re-
publica magis apparuit, nosceretur; &
nos cupiditate prodendi ad posteros tam
egregii exempli non iniuria incitare-
mur. Quo primum ingressus est Mu-
seum die Modestus, virorum principum
quidam, paginas formis literarum aeneis
expressas protulit, sibi que ab amico cum
literis redditas ostendens, ita ex Mysta-
gogo sciscitari coepit: Scio vos iam vi-
disse quod affertur. Misit enim circum

collegia Sapientum exemplum sui consilii amicus ille noster, *vir sane elegans & officiosus*, qui historiæ scribendæ & æternis Thuani operibus continuandæ impetum cepit. Quid ingenio & facundia possit, præfatio ista, quam sibi adhibendam duxit, declarabit, opinor. Sed quis tantæ rei manum rite admoueret, nisi explorata ante eorum sententia, quos terrarum orbis, scientiæ omnis literarumque & humanitatis antistites pariter ac interpretes colit? Vestro responso, non aliter ac oraculi sorte commotus, retinere an abiicere debeat animum scribendi, non cunctanter decernet. Ad ea, quem ætate, consilio, suauitate venerabilem, ceteri vt Mystagogum, eximia caritate diligebant, circumlatis inter confessores oculis, Tu vero, inquit, perbenigne, vt soles, comiterque alienum exquirere iudicium instituis, qui sic abundes proprio, vt non alius nobis potius in hac disputatione dux & auctor optandus sit. Tibi Mæcenatis vocabulum non amor magis & studium in eruditos, quàm exquisitæ quædam nec vulgares literæ conciliarunt. Igitur amicus ille Tuus
statim

statim ex te discere rem totam absque
circuitione & anfractu poterat, quam tu
nobis pronuntiandam committis, qui
nihil tibi negare vnquam voluimus.
Thuanum equidem, hominem in sum-
ma ingenii magnitudine, temperatum
modestia, humanitate, disciplina, fortu-
na reipublicæ ad artes & consilia con-
dendis annalibus digna excitauit. Multis
erat opus amicitiiis, subsidiis, instrumen-
tis ad historiam non vnius gentis, sed to-
tius orbis. quæ illi omnia prompta & ex-
posita reddebat egregia & peregrinatio-
nibus aucta fama, quæ de singulari & de-
merendis hominibus facta virtute eius
longe lateque percrebuerat. Quem po-
terimus reperire, si quæramus, tanto no-
mini hætenus conferendum? nisi ex
propinquis, Puteanos, aut eiusdem cum
Thuano sanguinis nominisque partici-
pem, qui Thuanæ gentis decus hodie su-
stentat, non dispari successu vsuros fuisse
statuamus, si ad hoc consilium compo-
nendi sua tempora, animum voluissent
applicare. Sed illos quidem non magis
instituta vitæ ratio, ad alias curas reuoca-
uit, quam auersus à posteritatis reueren-
tia

tia sæculi mos deterruit. Quamquam qui pluribus instruere scriptorem rerum quiuerit, nominare liceat neminem. Defendendam sibi potius alter Puteanorum Thuani memoriam & historiam sumsit: profuturo sæculis opere, si in manus hominum peruenerit. Feruntur hodie nonnulli impetu potius quàm consilio ad arduum sui temporis res dicendi munus: quorum appelli ad latentes ac improuisos scopulos nauem & haud raro affligi videmus. Quid Tholosano illi Præsidi, in angustiore scripturæ modo euenerit, Bignonius aliquis, cuius iudicium qui non reueretur, nihil cum Musis commune & Gratiis habere putetur, pronuntiauerit. Et sunt tamen in illis voluminibus quæ imperitis, vt imagines virtutum similes, stili quadam opinione; exteris autem nonnulla rerum cognitione, vltro blandiantur. Nam illos ne verbo quidem attingendos existimo, qui nescio quas rerum euentorumque fabulas, nullis adiuti adminiculis, nulla disciplina eruditi, vulgo pro historiis venditant. Præclare Thucydides, nata veluti ad populare spectaculum & paulo post
in

in vsu nullo futura opera, à consecrata
perennibus monumentis annalium me-
moria, plurimum discrepare, ostendit.
Non crediderim, amicum illum tuum
auram rumoris ex quouis angulo aucu-
pari: ita natus est, vt placere non nisi pe-
ritis, sequi non nisi optimos debeat. Per-
suadeas ipsi, opinor, vt consilio suo mora
aliqua interposita, post vnum & alterum
annum relegat has paginas, & tanquam
ab alio scriptas, vbi deflagrauerit natura-
lis eorum, quæ cogitauerat, amor, non
vulgari trutina, sed aurificis statera exa-
minet. Si bene coniectura de ingenio
eius auguror, non alieno arbitrio sed
suo, vel deliberare amplius, vel commu-
tare rationem illam totam cupiet. Ma-
gnum est, quod sibi proposuit exem-
plum: & placere quidam seorsum spe-
ctati poterant, qui comparati vilescunt.
Tot iam elapsis annis, prodito tam illu-
stri ad præcipuam ingenii laudem con-
sequendam specimine, nemo repertus
est, qui vel in Gallia Thuanum, vel in Ger-
mania Sleidanum æquare contenderet.
In huius rei caussas inquirentem reue-
rentia tanti nominis subeat, tum ipsa a-
gita-

gitatio mentis de præfidiis variarum rerum artiumque commoneat, necesse est. Orationis certe genus ab omni fucata specie & moleste scribendi consuetudine quàm longissime remouendum erit. Valde probari sibi Mystagogi sermonem ostendebat, qui amici causa eam quaestionem attulerat. nisi quod de vltimis verbis & stilo Historici sibi non satis liquere testabatur, cum historiam quomodocunque scriptam & delectare & prodesse, hætenus credidisset. Recte tu quidem, inquit Mystagogus, sed nihil pro amico sentis. Iuuamur etiam illo genere scripturæ, quod temporibus à politiori literarum humanitate prorsus alienis, homines nec reipublicæ satis periti, & barbarie domestica infuscati, posteris transmiserunt. Eruimus vñdecimque fragmenta memoriarum veterum, & in thesauris reponimus. Quotiens autem ista, non nisi hariolantibus negotiorum & æui indolem, sæpe ne his quidem, quem volebant, vsum præstant? Nec diuersa multum est ratio eorum, qui eloqui, quod intelligunt, nequeunt. Ab hoc genere enim vero longe abesse amici tui

ci tui consilia, satis exempli, ad quod aptari vult, nobilitas demonstrat. Et in tanta literarum ac temporum luce, quando imitari quidem eximia, non tamen intelligere desimus, satius fuerit silere, quàm prodita melioris doctrinæ causa, inauspicato mori, qui vel nos, vel minores nostros manet, viam emunire. At enim iam pridem ab antiquorum in scribenda historia consuetudine, & eloquentia, nec imperitiâ tantum, sed consilio & ratione discessum est. Ita nonnunquam opus fuit, vt seruiretur reipublicæ, quæ aliena facie nunquam spectari debet. An vir prudens & grauis religionē verborum, disceptationes sæculi, iura ciuitatis, momenta rationum, notas cuiusque rei & formulas nostris moribus consentaneas, non aliter, quàm apud Quiritium aures, quæsita antiquitatis imagine, differeret, forisque hoc pretio placere cuperet, vt domi parum intelligeretur? Respublica certe, cuius disciplina ex annalibus potissimum cognoscenda est, omnibus veteris Latii deliciis moris patrii natiuam ac domesticam consuetudinem non permutaret. In quo
gene-

genere admirabile est Thuani, quod reperit, temperamentum. Induciarum quoque Belgicarum scriptor, Romanæ eloquentiæ amantissimus, decore rationibus suæ ætatis morem gessit. Quam digna laude hæc prudentia, tam inepta est defensio, quæ speciosæ rei obtentu quæritur ignorantia & negligentia eorum, qui ab elegantia omni, cum nulla cogat ratio, discedere non verentur. Sed de perspicua & dilucida, non humili tamen abiectaque oratione volebam agere, eiusque studium ad historias scribendas vnice amico tuo commendare. Quo in loco, prætermisissis, quæ dici poterant, reliquis, rem veram sed paucis perspectam afferre, & ad aurem illū admonere cupiam: Qui ad ciuile & probabile idemque elegans & apertum eloquendi genus animum intendunt, illis negotia quoque cogitantibus obiiciunt se explanatius & expeditius; neque per inuolucra ac integumenta, sed vt in luce & oculis posita, libentius natiua specie dant se in conspectum. Quo nihil potest historiæ conditori optatius euenire. Hæc oratio plerisque, qui aderant, probata,

bata,

bata, nudi & venusti stili quendam amatorem longius prouexit, vt admirari se tum alias, tum in hoc genere excellens Hieronymi Bignonii ingenium diceret. Ei Hugo Grotius annalium & historiarum libros ante exilium in patria scriptos cum legendos obtulisset, laudata viri ad præclara omnia geniti industriâ, planius & perspicuum magis dicendi genus optare non dubitauerat. Valuit eo tanti auctoris ratio, vt rescribere is suum opus institueret, amicisque specimen monstraret. in quo tamen proposito, siue superioris temporis consuetudine, & ingenii quadam ad grauitatem propensione aduersante, siue aliis causis dehortantibus, non perstitit. Et ingeniis quidem, inuita Minerva parum audentibus prudentissimus quisque facile faueat, aut suffragetur etiam. Illos nulla tueri videatur ratio, qui lenioribus apti aut sueti, sublimiora cum obscuritate quadam, & si diis placet, Taciti singularem illam maiestatem, vltro affectare instituunt. Quod ne Lipsio quidem successurum fuisse, si vel maturus æui inceptasset Taciti supplementum, quod in adolescen-

B

tia

tia se perfecisse gloriosius iactitat, viri summi crediderunt. Vnus est, qui in Siluæ Ducis obsidione, & eius anni historia, Taciti profundum os, multa doctrina curaque sine ineptiis non infeliciter æmulatus est. Non defuerunt tamen, qui maluissent eum suo quàm alieno stilo vti. Male autem & historiæ & suo nomini consuluit, qui postremam Bredæ obsidionem tali imitatione quid aliud quàm foedauit? Ancipitis plenum negotii certamen, comparari antiquis velle. Nisi quod vnus omnium forte sui exempli partes singulas optime expressisse videtur, qui Curtii & Liuii damna, magna vi ingenii & eloquentiæ sarcire contendit. Id loco & tempore & ratione factum, cum aliorum scriptura & historia, hætenus nil commune habet. Hic est, si quisquam, qui & Tacito supplendo integrandoque par existimari potuit. cuius imitatores, quicumque erunt, valde verendum est, ne multa auctori suo relinquant, quæ assequi fas non sit. Venerat in hunc Musei coetum conciliumque vir multæ dignationis & in administranda pace belloque republica auctoritatis: qui,

qui, pulcre & in tempore se huc proces-
sisse, neque vnquam haftenus nisi suaui-
ter inter viros tam eximios otium suum
consumpsisse, professus, Thuanum, cu-
ius historia sermoni principium dede-
rat, prorsus ex merito, nec vulgari lauda-
tione ornare, & ex magna amplitudine
rerum, ea quæ propius hanc disputatio-
nem attingerent, elogia coepit decer-
pere: donec eo ingressus est, vt ex ipsis
Reipublicæ rationibus doceret, quantæ
molis esset æterni istius operis exem-
plum sibi sequendum deligere. An enim
alius, inquiebat, rerum hoc sæculo toto
orbe gestarum historiam non temere
aggredietur, quàm qui omnium natio-
num gentiumque vtilitates & pericula,
spes metusue, proposita, consilia, in
aperto posita, aut in penetralibus abdi-
ta, habitum animorum ad alios & aduer-
sus alios, interiores denique reipublicæ
tractandæ rationes, pervidere animo
singillatim, & in vnum quasi contextum
iudicio colligere ac ordinare didicerit?
Rarum decus: ad quod non ingenio tan-
tum & literis aspirare, sed maioribus &
publicis auspiciis, quin etiam opibus in-

super & instrumento apparatusissimo contendere fas est. Reperiuntur valde quàm pauci, vnius populi ac ciuitatis disciplinam probe edocti. nam nugas hominum meras, qui se vulgo Politicos vocant, parum curamus. Quid de illa quasi humani generis republica, cui vix immensi magnitudo animi par est, sperari potest? Neque est, quod iniuriam me facere & conuitium sæculo dicas, si magna illa & decora ingenia vel nasci perraro, vel nunquam ad hos vsus adhiberi existimauerim. Aliis enim in republica negotiis distrahuntur ac pæne obruuntur tam præstantes naturæ: ad quæ etiam sæpius quadam inductione animi feruntur, quàm ad eas curas, vnde priuatim nihil emolumenti, publice potior apud posteros gloria expectari potest. Video Principum studio & liberalitate apparari modo amplissimum aulæ & pompæ instrumentum, modo Bibliothecas ordinari multo sumtu cultuque: sed de conficiendo omnium negotiorum viuo quasi & spirante illo subsidio, nullam animaduerto publice cogitationem suscipi. Reperias etiam, qui rem plus quàm
pri-

priuatæ opis, vltro aspernandi auctores sunt: commentarios rerum vndique collectos sufficere tali instituto caussati. Quasi nihil interesset inter coniectos in cumulum rerum variarum thesauros, & diligentiam ac iudicium dispensantis atque disponentis. Dictis ad hunc modum sententiis, qui amici causa agitari in Museo eam quæstionem voluerat, gratias agere cœpit, probeque sibi satisfactum testatus, rescribam, inquit, amico meo congruentes iis, quæ ex vobis audiui, literas: atque vt de orationis genere, quod Thuanæi instituti imitatore non dedecere videatur, etiam atque etiam cogitet, monebo. Interrogabo deinde, quibus velit præfidiis tantam rem aggredi? An Germanicorum Principum in aulis, tabularia, viros, consilia ad iuandum hoc propositum traduci confidat posse? Et quamuis Hispanorum fere artes à Gallis, Gallorum ab Hispanis sedulo obseruentur ac euulgentur, requiram tamen, vnde cetera, quæ ad fidem historiæ non leue momentum faciunt, vtrosque apud populos prouisa ac præparata habeat? Proponam ei exemplum eius,



qui duos è maximis quos vlla vnquam aula tulit, Regiarum curarum adiutores & tractandæ reipublicæ principes, ita descripsit, vt interiora negotiorum operumque sæpe solerter perspiceret, in nonnullis egregie falleretur: &, quanto facilius sit eius generis dissertationibus operam dare, quàm historicæ grauitatis mensuram implere, ostendam. Britannorum res hoc sæculo, ex quibus monumentis aut commentariis idoneis poterunt repeti? ad quas pernoscendas nescio an opus sit peregrinatione singulari, & negotio minime otioso. Italica quidem Venetiis & Romæ optimè condisci arbitraris: si Ossati alicuius reuiuisceret industria. Vix tamen absentibus & procul positis æqua satis ista disciplina est. Quàm multa non nisi in Septentrionem penetrantibus patere, iam pridem Languetus obseruauit? Apud Belgas minus celari arcana creduntur, si non desit, qui propius expiscetur. Polonorum per concilia & comitia spargi negotia, atque adeo enotescere facilius solent. Moschorum domestica rarius in literas eunt: quæ publice parant, vel instinctu, vel consilio alieno commouentur. Tartarorum infames turmæ ad licentium nutum circumferuntur, forisque

risque potius quàm domi cognoscuntur. Turcarum res gestas, & molitiones, Legatorum fere, Cæsareorum præsertim, Gallicorum & Venetorum, relatu homanior orbis accipit. Iam, qui velit Ecclesiæ res intexere, vt ratio operis postulat, quàm sudabit ille in dignoscendis Græcæ Ecclesiæ reliquiis, & vbi per Æthiopas, ac alibi, Christiana religio variam formam famamque nanciscitur? Indica & Americana, itinerum & nauigationum descriptionibus, vix puro liquidoque flumine in vulgus emanare solitis, debentur. Hæc atque talia non diiudicare minor ac discernere, quàm conquirere vndique & conducere, labor fuerit. Peireskio quodam opus erat: qui nulli operæ, nulli parcens impensæ, molestiis insuper virtute superatis omnibus, eximiis doctorum virorum iuuandis subleuandisque natus operibus, ex nationibus, gentibus, aulis, museis, commentariis, cubiculis, penetralibus, quibus quisque indigeret subsidia eruebat feliciter, ac perliberaliter suppeditabat. Nihil frustra è Gallia, Italia, Africa, Oriente toto sperasses, nihil de illustrium virorum & familiarum notitia, nihil de publica actorum scriptura, & formulis, nihil diplomatum, &

monumentorum ad memoriam insignium desiderasset, cui tanti Mæcenatis ope niti contigisset. Sed in eius qui succedere locum velit possitue, quæ feret ætas, quæ producet regio? Extulit Gallia Peireskium, sed luxit lugebitque semper quantum est in terrarum orbe liberalium & præstantium ingeniorum. Proponam ei vetus Polybii exemplum, quo nemo studiosius illam curam & cogitationem suscepit, de partibus historiæ in rerum summam & vnius corporis speciem colligendis: & quanto maius Polybiano instituto negotium contrahatur ei, qui Thuanum velit æmulari, in expedito ut sit, efficiam. In primis vestri auctoritas consilii, vel erudiet magnisque conatis præparabit virum, vel de omittendo tali labore commonefaciet. Incidit inter hos sermones mentio Italici Scriptoris, qui auspiciis Gallicis temporis exigui nouissima delecta historia, sic moris ciuilis habitum expressisse, sic sæculi genium propitiasse visus est, ut reliquos, qui nuper aliquid huius generis aggressi sunt, sine controuersia vincere vulgo iudicaretur. Sicut autem nouitatis quadam illecebra prudentiæ rationibus prætexta plurimum animos cepit:

pit: ita grauioribus Thuani & accuratis, sine choragio gloriae, consiliis qui æquaret, nedum præferret, haud est in illo coetu repertus. Alterum enim uero Italum, qui Latine bella Germanica nouissima prodere memoriae sibi visus est, nec studiis artibusque, nec facultate historici præditum censebant, nomenque eius in hac disputatione leui auditu transmittabant.

Gratulari sibi potuit Modestus de tam exquisita grauissimorum virorum disciplina, vnde accensum in animo suo versandæ incomparabilis historiae studium, & in literas referre, & explere, per gradus ætatis ac vsus rerum in omni vita, destinauit. Cumque tam pulcre se dedissent initia, magnam sibi adhibendam contentionem videbat, vt Museum non assidue modo, sed reuerenter etiam & studiose frequentaret. Hærebant in animo vultus illi venerandi, quorum relictæ oculis veluti imagines circumlatæ, memoriam dulcissimorum sermonum renouabant. Ægre, quicquid intercedebat temporis, patiebatur morari sua desideria & Musei delicias, quas auide animo & in longum

B 5 hau-

hauserat. Ad vnum autem praesertim tan-
 quam patronum se applicabat, cui non vul-
 gari suorum commendatione traditus, mu-
 tuo se diligi haud vana comitatis eius fidu-
 cia sibi persuaserat. Hunc ut alterum pa-
 rentem obseruandum colendumque ratus,
 quomodo apte adiret, horamque & ani-
 mum vacantem reperiret, summo stu-
 dio elaborauit: miraue orationis sua-
 uitate & modestia, cum hominis bona-
 rum rerum ignorantiam omni ope vi-
 tantis, neque quicquam nisi cum laude
 coniunctum affectantis non obscura co-
 tidie indicia daret, domoque submissa
 modo artificum opera, modo doctorum
 virorum consilia, quaestiones, libros col-
 loquiis praetenderet, ita cepit virum, ut
 omni beneuolentia complectendum sibi
 ac ornandum deinceps hunc clientem du-
 ceret. Igitur quodam tempore, Video,
 inquit, te dignum esse, Modeste, quem
 mysteriis Musei initiatum, in amicitiam
 suam viri praestantes recipiant, à qua pro-
 fanum vulgus merito arcetur. Commen-
 dant nobis saepe ut amicos aut necessarios
 suos, qui per literas nobiscum variis de re-
 bus colloquuntur. neque quicquam no-
 bis

bis æque propositum est, atque officio-
rum in omne hominum genus sedulitas.
Admittimus ergo non raro in Museum
talium latores literarum ea facilitate, cuius
postmodo & nos & ipsos poeniteat neces-
se est. adeo nihil de viris aut rebus præcla-
ris intelligunt. Mirari haud raro subit eo-
rum disciplinam, quibus vos priscum
Academiae honorem & nomen, nescio unde,
certe non ob iudicandi decernendique
in rebus non fatis perspectis modestiam
accommodare soletis: cum ultra primas
literas non profectu sed saltu delati, deli-
batis leuiter artis alicuius præceptis, acce-
dente præsertim titulo insigni, quibus ex-
citari ad laudem ingenia ratio est, de
omni antiquitate, ne per somnium qui-
dem cognita, de studiis sapientiae & do-
ctoribus temere & cum fastu pronuntiare,
ac in se suisque doctrinis insolenter gloriari
non verecundantur. In moribus quo-
que, quos domicilia illa gloriae vestrae a-
mant, adeo sæpe nihil est commodi, aut
emendati, vt plerumque fastidiosa illa ele-
gantia viris grauibus & compositis vel risum
vel stomachum non possit non mouere.
Quo fit, vt ex Museo nostro, plurimi disce-
dant

dant ignoti ignorantisque. quid enim vel Platoni aut Aristoteli in disciplinam datus discat, qui se doctum autumat, antequam, quid doctrina sit, cognoverit? Quæ cum eo tibi communicandæ ratio sapientiæ relinquatur, qui rerum bonarum utiliumque nec delectu nec studio ducitur? Memini ex eo genere quendam, à me interrogatum, quid in vrbe plurimis optimisque rebus florentissima vnde ad nos pedem attulerat, visendum imprimis & eximium æstimasset, turrim alte eductam, & lanistam, nominasse. An digni videntur tibi, Modeste, homines tam odiose inepti, quibuscum de Museo aliquis, differere velit? Ecquid autem congressus nostros, consuetudinem victus, sermones non nisi ad solidam veramque laudem virtutis, humanitatis, & eruditionis pertinentes magnopere requirat, qui omnem veræ vitæ rationem arrogantiam præteruectus, suaque & vulgi forte opinione doctissimus, quid vlla ars aut doctrina liberalis sit, vehementer ignorat? Modestus ita his auide, quasi ad magnam sitim explendam,

arrec-

arreptis, quid tandem vera eruditio
esset, familiarius inquirere cœpit. Pri-
dem enim, inquiebat, huic cogitatio-
ni aliquid impendendum temporis iu-
dicaui, ex quo me optimus viuendi
sapiendique auctor & magister, amit-
ti vulgo & immutari vera rerum voca-
bula, admonuit. Qui memoriæ man-
dauere libellis quibusdam tradita & in
locos coniecta, hos illa disciplina do-
ctos, si non doctores, nempe appel-
lant. At mihi satis persuasum est,
fieri non posse, vt huius tam solidi &
splendidi nominis decus in illam ne-
scio cuius scientiæ vmbra conuenire
videatur. Ipse suo sibi ingenio sapiat,
nec, quia è magistrorum scholis ita acce-
pit, sed quia ita se habere cuiusque rei
consertas naturali colligatione contex-
tasque rationes perspexit, scire ac tenere
aliquid credatur, necesse est, quem tu e-
ruditum non iniuriâ vocare velis. Cor-
ticem aut vtres deuehunt secum, non
qui natandi periti sunt: neque admini-
cula sapientiæ perficiunt sapientiam sed
inchoant. Propositus sit ad disputan-
dum locus, ex quocunque literarum ac
doctri-

doctrinarum genere. Nisi, quicquid eo pertinet vel partium ad absoluendum, vel momenti & ordinis ad disponendum, vel iudicii ad constituendum, remotis omnibus librorum subsidiis, suo-pte auspicio expediat, persequatur, impleat, qui doctus haberi vult, cum ego quouis potius quàm tali nomine censendum existimauerim. Memoriae quoque non illud præceptorum & formularum auctoritate instructum artificium, sed inductione quadam ac ratione disciplinæ, scientia comprehensæ & ab omni opinionum lubrico seiunctæ, paratum subsidium, minime fortuitum, hic agnouerim. Seueram & antiqui moris legem, in ciuilibus studiis sequi aggressus, quanquam vix aliquâ prodire cœperim, multum tamen me ad firmandum iis artibus animum instigari sentio, quarum simulacra & venditari passim & adamari cernimus. Verum in hoc genere, quod longe lateque patet, omnes meas spes Museo & vestræ disciplinæ delegaui. Plurimum hac oratione Modesti delectatus, quem prisco more adoptauerat patronum, vir comitate & literis

teris mirificus, Multis modis, inquit, laudandus es cum isthoc animo, Modeste, & proposito: cuius te fructus vberes paulo post manent; cum & illud, quod de vera eruditione percontari instituisti, nec obscuris nec paucis speciminibus illustrari animaduertes. Interea tibi doctoris profecto non vulgaris vsum & consuetudinem gratulor: quæ tibi ad literas interiores viam vtique patefacere potest.

Reditum erat stata vice in Museum, quo Patronum suum Modestus officii causa deduxerat: cum inter varios sermones, Miltoni cuiusdam Britanni libellus, pro scelere omnis memoriæ immanissimo scriptus & pridie ex Belgis allatus, animos omnium nouitate rei & atrocitate conuertit. Excusare enim parricidium, cui nulla ætas vidit simile, quid excusare? vltro vt pulcerrimum facinus, Deique immortalis nutu & optimo iure patratum prædicare, alterum & plus quàm parricidium videbatur. Igitur non tenuit se de amicis Salmasii quidam, quin commoto similis, mirari se plurimum, diceret, quid viro erudito in mentem

tem venisset, ut scriberet (proferebat enim literas) Miltonum sic pessimam causam egisse bene, ut Salmasius optimam male egerit. An fucati, nec satis Latini stili profluentia tantum cuiquam imponere potuit, ut bene agere negotium susceptum videretur, qui de importunissimo sophistarum genere mores impuri sycophantæ mutuatus, iuris diuini humanique discrimen peruertere, & sine vlla philosophiæ aut antiquitatis cognitione, in omne honestarum literarum genus furiose grassari non dubitauit? Ut agnoscas parricidam sacrilegum, infames parricidas suæ disciplinæ auctores facit, eorumque verbis utitur. Aodis illi exemplum ad defensionem parricidii placet: prorsus ut Iacobus Clemens monachus, cum Henricum Valesium nefario scelere trucidare constituisset, persuasit sibi, se esse * Aodem siue Ehudem, Regem vero Henricum, Eglonem Moabitam. Tum sanctissimi Numinis voluntate & instinctu conspiratos detestabile facinus aggressos esse, eo ore e mentitur, quo ** Balthasar

* *Franc. Haræus tom. 3. in ann. 1589. p. 428.*

** *Idem in ann. 1584. p. p. 363.*

far Girardus Guilielmo Nassouio percussor immissus, nil nisi iubente Deo & impellente se fecisse, gloriatus est. Quid mirum ergo, si verba Dei immortalis, venerandis prodita voluminibus, subinde cauillari nunquam desinit, qui numen eius in atrocissimi maleficii crimen & inuidiam vocare haud est veritus? Nam quæ in Aristotelem, & omnem ciuilem disciplinam peccat, reuocatis ab orco tribunitiis furoribus, & perturbata omni vt administrandæ reipublicæ ita disputationis suscipiendæ ratione, nolo verbosius persequi. Magnum certe desperatæ causæ argumentum apud me est, Miltonus defensor. Valde probari sibi hanc orationem, qui in concilio Musei aderat, Theodosius vir in summa republica singulari cum prudentiæ & industriæ laude semper versatus, ostendebat, & quantum in ciuilem societatem mali inferret circulatorum eiuscemodi impudentia, grauitèr querebatur. His ad fallendos imperitiores, quorum maxima semper copia, modo sacras literas, modo priscos Ecclesiæ doctores, alias philosophorum principes,

C

alias

alias iureconsultos celeberrimos, excu-
ius generis rerum hominumque mera
in scitia labore interim, obtentui esse.
Dedisse specimen Miltonum, quàm pro-
terue illudere rerum ciuiliū auctori-
bus consueuisset, cum Aristotelis no-
men foedis in permiscenda omnis rei-
publicæ ratione erroribus prætexuit, ty-
rannidis descriptionem præter mentem
& disciplinam eius ad fraudem securita-
tis publicæ & res nouas conuertit; re-
gnum Spartanum, in quo nil nisi no-
men regni inesse disertis verbis testatus
erat Phillosophus, ut solum & verum re-
gnum, quasi eo auctore, venditauit; re-
gendæ denique ciuitatis potestatem,
non nisi sapientissimo ciuium conce-
dendam, ut decretum eius scholæ pro-
mulgauit. Neque melius in historia rem
geri, vel ex iis perspici posse, quæ de lege
regia, de Principatu Cæsarum Romano-
rum antiquo, de scriptoribus annalium,
incertum imperitia maiore an confi-
dentia afferantur. Sed Miltono qui-
dem, inquit, etiamsi in tanta veri boni-
que ignoratione non versaretur, malitia
suo alienoque iugenio incitata pro sa-
pien-

piencia fuerit. Egregia autem doctrina
famaque præditos viros, Francogalliæ
scriptorem, & qui se Bruti nomine dissi-
mulauit (siue Mornæus is est, siue Hu-
bertus Languetus) quis non miretur,
cum ea in publico dudum proponere
in animum induxerunt, de iure regio
semper in ordinem redacta & redigen-
do, de potestate populi semper & vbi-
summa, regumque & optimatum iudi-
ce ac moderatrice, quibus, nemo est par-
ricidarum & seditiosorum latronum,
quin tanquam coloribus prauas mol-
tiones pingere, & vltimi turpitudinem
maleficii veluti honesta præscriptione
tegere nullo negotio post illa potuit?
Egit illos credo intransuersum metus &
solicitudo temporum, carimoniis & sa-
cris, quæ amabant, nihil fausti porten-
dentium; vt regum constringendæ li-
centiæ, etiam iustam omnique iure de-
bitam potestatem in dubium vocare in-
stituerent. quo fere consilio eximii
quidam viri, vt prurientes in pugnam
Christianorum animos obice quodam
morarentur, fas esse Christianis bellare
negauerunt. Sed hoc est scilicet, malum



malo sanare, & priuato periculo reipublicæ vulneribus mederi. Quam vero auctoritatem, quam possunt habere fidem in aliis, qui in re omnium maxima, stare à mendacio contra verum non verentur? Fructum quidem huius consilii, quem sibi proponebant, nemo illorum quisquam consecutus est: irritatis, quorum iuri illudebatur, Principibus; & vulgo ad præsidium ab audacia & turbis mutuandum tam insolentis philosophiæ nouitatibus illecto. Est Britannia hodie fanaticis hominibus plena: quibus neque lex, neque imperium ac ciuilis ordo disciplinæ in bonis; sed dissoluta & impudens licentia caput religionis est. Memini tamen, cum superioribus annis bello ciuili omnia arderent, eos, qui honestiores videri volebant, cum modo Senatus, modo populi nomine regem oppugnandum sumissent, quoquo uersus literas nuntiosque dimisissent, & cum suæ religionis sociis de armorum suorum iure deliberasse. De qua consultatione, cum esset Aureliam Allobrogum allata, nomine collegii Theologorum grauissime responderat vir non doctrina magis quam

quàm vita & moribus spectatus Deodatus. Afferuo domi cygneam vocem optimifenis, qua consuetudinem illam cum regibus agendi, desideriaque ciuium armis exequendi summopere abominatus, quàm multa & magna iam peccassent, qui illuc decurrissent, ostendit, & per quicquid est sancti obsecrauit, ne auferent opinionem, qua pridem longelateque laborarent, qui reformandæ religionis studio nosci præ ceteris cupiunt, quasi reges & regna ferre nullo modo possent. Hæc ille quidem in literas relata, cum maiori collegarum parti non probasset, missa est in Angliam responsio longissime diuersa, quæ calcaria potius incitatis, quam frenos adhiberet. cuius generis aliunde etiam submissa fuerentibus quantulo minus quàm irritamenta nouimus. Qua de re cum admonerentur nonnulli, perpetrato paricidio, non inuenerunt, quod admonentibus referrent, nisi vulgatum illud, non putaram. quis enim credere potuisset, duraturas in necem Regis ciuium iras? Verum enim inuidiam seditiosi dogmatis ad totum eum ordinem nolim

pertinere, cuius plures audiuerim & vi-
 derim præclaros viros præcipuo quo-
 dam dolore angi de immani ac intole-
 randa parricidarum Anglicorum barba-
 rie; omneque illud, quod rebellibus fa-
 uet, insanientis sapientiæ genus toto pe-
 ctore execrari. Cumulate mihi satis-
 fecit doctissimus Bochartus, cui in vni-
 uersa causa Anglicana nihil visum est
 habere rationem, nisi quod haberet iu-
 stitiam: quique iura & sanctitatem re-
 gum inuiolabilem adeo edisseruit accu-
 rate, ut & verenda immortalis Dei decre-
 ta, & omnis historiæ monumenta, ho-
 minumque, qui vilo æuo recte de diui-
 nis humanisque rebus senserunt, testi-
 monia multa grauitate & doctrina illu-
 straret. Oraui certe, & ut spero, exora-
 ui, ne in publicum edere colloqui nostri
 argumentum grauaretur. Sicut autem
 permagni ad Reipublicæ felicitatem
 momenti est, ut de imperio atque impe-
 rantibus recte, ac sicut oportet, omnes
 sentiant: ita tollenda est ex omni vita
 ciuili malarum artium consuetudo &
 auctoritas, quibus præsidia ad beate vi-
 uendum potissima clam palam euerti
 necesse

neceſſe eſt. Quàm eſt enim dictu in-
credibile, quod totiens vel noſtra vidit
ætas, imperii maieſtatem ab iis impu-
gnari, quibus vnice proderat, ſacram at-
que inuiolatam haberi? Quæ turbatur
vſquam reſpublica, quin vicini Princi-
pes, ſæpe & ex longinquo aliqui, partes,
nec vnas aliquando, clanculum ſuſcipe-
re velint, vt diſſidentium vel nonnullos,
vel omnes ſuis habeant conſiliis obno-
xios, aut injuriis opportunos? Non ſine
gemitu hæc effatus Theodoſius, memo-
riter Myſtagogo ad aurem pronuntia-
bat, quid in turbis Britannicis, quo con-
ſilio, qua ſpe, quibus miniſtris & nuntiis,
exterorum illi & iſti moliti ſint. Tum
ad omnes conuerſus, atque hæc, inquit,
ſunt, quibus mire ſibi placent magiſtri
dominationis; hæc plane ſecreto inſtil-
lant Principibus: hæc multa ſpecie vti-
litatis publicæ conueſtiunt: at ego cer-
tum habeo, talibus aſtutiis diuinum nu-
men irritari, fatali calamitate rempu-
blicam inuolui, & redituris paulo poſt
ad auctores exempli parum probabilis
vicibus, nihil tantum afferre poſſe
iſtam, quæ dicitur, vtilitatem, quantum



fert, si perenne honestatis decus eripuerit, fidem iustitiamque detraxerit. Excitauit hæc Theodosii pietas ingenuam nonneminis libertatem, ut proditam à ceteris Principibus communem regum causam, ne latentem quidem sub novæ reipublicæ nomine vnus tyranni dominationem detrectantibus, paulo minus quàm indignaretur; Hispaniamque eius rei ducem fieri, postquam neminem puduit sidus lugubre adorare, parum æquo animo pateretur. Sed attinuit impetum eius ratio & prudentia reipublicæ gerendæ, quam alii in eo Hispanorum factò vltro laudibus ferentes docere pergebant: Britanniam id facere in vniuersa Europæ fortuna momenti, ut segregato à corpore tam nobili membro, non possit esse reliquorum populorum in republica pro sua parte capeffenda is status, quem summa ordinis & communitas ciuilis postularet. Hispanis Gallisque, ut præcipuum in illo contextu locum, ita potiozem necessitudinis cum Britannis curam, conuenire: & inter discordias vtriusque populi, præoccupare illas partes, non consilii modo,

modo, sed felicitatis esse. Caussam regum non ab aliis in posterum plus iuari posse, quàm qui in commutata quomodocunque republica aliquam sibi auctoritatem & gratiam comparauerint. Parricidii culpam penes auctores, sceleris sui præmia haud læta relaturos, residere: nationem contagionibus malorum inuolutam, non prolici vt inuisam, sed sanari vt affectam verum esse: multa tempus allaturum, per quæ regii imperii beneficiique, homines antiquitus non alio assueti regimine, vltro admoneantur. Si quid abstrusioris consilii subsit, quo occasionem turbidi temporis in quæstum vertant nonnulli, id vero deplorandum quidem, sed tralatitium hodie esse. nihilo interea minus constare, Hispanos vix reprehendi posse, si priores fecerunt, quod non magnis peræque de caussis, pari tamen studio & voluntate omnes facturi erant.

Sed ab his sermonibus, quos ipsa colloquutionis familiaritas interiecit, ad Salamasiu[m] reuerti cœpit oratio. cuius de libro pro rege aduersus parricidas scripto, erant, qui curiosius sibi quærendum

C S puta-

putarent. Nemo quidem de Miltono aliter ac ante demonstrauius, sentiendum, aut cum aliis inimicis Salmasii id incusandum iudicabat, quod in argumento sublimi vocem non sustulisset altius, & maiore spiritu ac contentione causam egisset. Alia erant, quæ desiderabantur, maior præsertim rerum ciuiliū peritia, perspicua & dilucida cum grauitate expositio, omissa verbosa simulatione doctrinæ, denique ordo quidam, & in ordine modus, & in utroque constantia. Tale enim videbatur hoc opus, vt nec antiquitatis exemplum referret, nec limatis nostræ ætatis iudiciis satisfaceret. Ipsi sibi documento esse potest Salmasius, inquebat non nemo, non idem esse vetustatis memoriam illustrare literis, & reipublicæ ac sæculi sui causam tueri sapientia. Solebat ille Grotii insigne de iure belli & pacis opus satis arroganter aspernari, & ad omnem ciuilibis disciplinæ mentionem tantum non nauseare. Quis hoc ferat in eo, qui in vniuersa de iure regum disputatione pleraque rationum momenta tam diligenter à Grotio mutuatur, vt frustra nomen

men dissimulauerit? nisi quod diuersus à suo auctore sæpius est, dum transfere-
rendo, quæ accepit, deteriora facit, & inuitis Musis ac Apolline immutat. Quàm enim importuna & crassa, nullo-
que erudito homine, nedum Grotio, digna sunt, quæ de iure licentiæ, vt appellat, philosophatur? Tantum abest, vt intellexerit, quæ viri ciuiles de potestate regum nulli humano iudicio obnoxia, grauitè, caste, & exquisita cautione adhibita tradiderunt, vt ista omnia vltro impudentia sermonum & verborum insolentia corrumpere, & sacrosancta imperii pignora profanaret. Nihil interest scilicet extemporalibus his philosophis inter ista, si dicas: Qui iure & nomine regio est, non habet, nisi DEUM iudicem; &, eodem iure continetur potestas flagitiorum omnium ac scelerum. At vero aliter catuli olent, aliter fues; diceret ipse Salmasius, cui valde scilicet id verbi ad irridendos homines probatur. Iam de iureiurando regum, quos ille ludos facit? quàm religionis nihil, nihil pudoris in illa disputatione? quis de re omnium grauissima tam dissolute vn-

ynquam sermocinatus est? Atque dum
 nihil aliis debere, omnia suis auspiciis
 eruere vult videri, festiue scilicet ac pene
 ridicule furti se alligat. Dixerat Gro-
 tius, sed lapsus per errorem, consentire
 Hebræos: regi peccanti inflictâ verbera,
 sed citra infamiam, & quibus ille sua
 sponte se submitteret, eligeretque, à quo
 cæderetur, modumque verberibus suo
 arbitrio statueret. Argo plus videat o-
 portet, cui hæc se apud Hebræos requi-
 renti offerant. Salmasio tamen in lu-
 cem res occultas proferre solito, hæc vl-
 tro obuia veluti de medio arripiuntur.
 quo auctore? quem palam aspernatur
 silentio præteritum, clanculum venera-
 tur, vt dignum, cuius fide rem alio ore
 indictam, eademque opera irrefragabi-
 le suæ auctoritatis pondus, fundari vel-
 let. Quanto mihi vt modestiores sic
 prudentiores videntur, qui Salmasio iu-
 dice volitant vt vmbra, cum res non in-
 genii, non eruditionis suæ, vnde acce-
 perint, fatentur: alienaque pro suis af-
 ferre, aut per se definire, quæ debentur
 aliis, religioni habent. Ita enim nec
 gloriæ aliorum obtrectare, nec erroris
 alieni

alieni inuidiam sibi suo iumento accire contendunt. De iure regio Hebræorum quid affert Salmasius, nisi ex doctissimo Schikardo, etiam cum non nominat? tam fideliter scilicet, vt errorem nominum, & si quid in verbis aut interpretatione discrepat, retineat aut transcribat. Ad historiam rerum Britannicarum vbi peruentum est, qua in iure regum & scelere parricidarum demonstrando vnice opus erat, quàm est ieiunus, & ignarus actorum temporumque, heros ille noster? Nisi credidisset, in vno nomine suo, & doctrinæ & auctoritatis esse satis, venisset profecto ad rem tantam paratior & instructior. Hæc oratio facile omnium iudicio probata, etiam amicos Salmasii perpulit, vt dissimulari à se magis ista, quam ignorari faterentur; à Miltono tamen aliquo, aut semidoctis hominibus rem à vulgari intelligentia remotam agitari posse negarent. Nec defuit in concilio, qui alium regiæ causæ patronum, publica ciuilitate, graua magnifice tractaturum, optaret. Quamquam enim nonnulla spes suberat, fore vt Miltoni conatus impios refutaret Salmasius

masius ac retunderer, eademque opera, quæ causæ tam bonæ ornandæ sunt, suppleret: suæ tamen potius consuetudini cuidam, quàm dignitati argumenti, quotiescunque resumeret stilum, satisfacturum esse eum, erant plures, qui putarent. Modestus non parum his perculsus, quæ de Salmasio audierat, ex patrono studiorum suorum verecunde domi sciscitari cœpit, quo potuisset fato fieri, ut vir in tantum doctus, in quantum doctrinam intelligunt homines, totiens in rebus ciuilibus falleretur? Tum ille, Facis, inquit, quod ætatem tuam & virtutis indolem decet, cum viros eruditorum principes tantum & vereri & diligere studes, ut erratis eorum leuiter notatis, commoueri ac ingemiscere videaris. Est in Salmasio magna vis ingenii, est longe lateque diffusa laus scientiæ, sunt exquisitæ etiam ac reconditæ literæ. addam huc, vix vnum & alterum hoc æuo variæ eruditionis copia ipsi comparari posse. Non tamen putare debes, Modeste, vnum aliquem, quantumuis licet excellentem hominem, cuncta posse sua scientia complecti. Non dicam, quàm
infe-

infeliciter cum Iureconsultis de legibus disputauerit. Diatribæ eius de annis climactericis & astrologia antiqua, meram rerum mathematicarum inscitiam produnt, atque adeo temeritatem arrogantis animi arguunt, qui non dubitauerit in alienam messem falcem immittere. Quamquam non minus importunitatis & audaciæ ostendit, cum in suo campo decurrit. Quotiens in antiquis scriptoribus recta deprauat, sana exsecat, vera immutat, denique

diruit, edificat, mutat quadrata rotundis? neque crebrior eum huc impellit causa, quàm dissentendi libido, & contendendi peruicacia. At enim redimit ista vitia magnis laudibus? Ita futurum erat, nisi mira non minus superbia, quàm malignitate & liuore in omne genus eruditorum grassari adortus, amicis admonentibus inimicitias denuntiaret, alienis laudibus vt ad diminutionem suæ gloriæ pertinentibus impotenter obtrectaret, & maledictis innoxios figens, etiam mitissimorum ingenia irritaret. Nolim sane apud eorum aures ista iactari, qui ad veram eruditionem nunquam peruen-
turi

turi sunt: alias illi res agant, suadeo. Tibi autem ex hoc meo sermone nec reuerentia decedet aduersus merita Salmasii & multum ad cautionem & diligentiam in tractandis literis accedet.

Ciuilium quoque studiorum: quæ tibi tantopere cordi sunt, Modeste, quæ sit ratio, vel hinc moneri potes. Præclare sine dubio sentiunt, qui antiquitate magistra totam hanc disciplinam volūt niti. Quid enim est, quod Poetæ, Oratores, Philosophi, Historici veteres non & viderint acutius, & ornatius differuerint? Verum non omnes qui eos libros versant, ad prudentiam & artes ciuiles animum referre, sed sua quemque voluptate trahi; iam olim Seneca animaduertit. Perspicit intentiore cura Grotius aliquis, quæ Salmasii præter oculos transmittantur. Est autem in hoc genere molestum, quod suo quisque studio & cupiditati morem gerens, quæ potioris ad vsum reipublicæ momenti sunt, aspernatur. Qui barbaro & crudeli dominatu ingenuam & solidam eruditionem premere contendunt, nullam esse ciuilibis doctrinæ disciplinam, non verentur effutire,

effutire, nisi quæ ex iuris ciuili Romani voluminibus petatur. Fuerunt sane Iure-consulti veteres, quorum oracula hodie veneramur, omnis ciuili philosophiæ scientissimi; quorum scilicet non possunt esse siue discipuli, siue imitatores, qui speciosa tantorum virorum nomina affectantes, artes & studia eorum nec intelligunt, nec curant, & vltro calumniantur. Mitius sapere & facilius sibi videntur, qui libellis quibusdam & præceptis nomen & laudem ciuili viri debere malunt. Quorum si multum processit industria, argutiis quibusdam scholasticis maiora, quàm capit, spirat. Non enim, Modeste, vt ceteræ literæ, ex profunda barbarie in quendam nitorem emerfere, ita ciuili doctrinæ studia ad antiquitatis specimen profecerunt. Quinimo instauratis reliquis disciplinis, hæc obliuioni tradita, & ne nunc quidem nisi paucorum animis percepta, vix quo destinatur penetrare audet. Audiuisti, credo, superiore sæculo, cum ad bellum ciuile res spectaret in quadam ciuitate, & iuris dubitatio suspensos teneret animos, quæsitum esse à Theologis, an reli-

D

gionis

gionis causam aduersus quoscunque inimicos liceret armis propugnare; & à Iureconsultis, an iudicis iniquæ sententiæ vis armata posset opponi. At in his disputationibus nihil ostendebatur, quod animum fluctuantem posset in tuto locare. quod caput rei erat, vix in disceptationem venit: an in temperato mixtoque reipublicæ statu, partem iuris non suam inuolanti, aut ius commune ad se solum trahenti fas sit resistere bello & armis, vbi alia remedia consumpta sunt. Hic est demum locus, in quo ex ipsa ciuitatis disciplina, sanctissimis legibus descripta, & iurisiurandi religione firmata, ex diuino humanoque iure, natura & ratio ea subministrat firmamenta causæ & robora, in quibus merito omnis disceptatio acquiescat. Licuit, ni fallor, ex illo tempore documentum capere, quid sit legibus reipublicæ descriptionem complexis vti, & earum sententiam ac rationem in philosophia ciuili negligere aut ignorare. Secuta sane est, hoc præsertim sæculo, ingens turba eorum, qui reipublicæ illius statum, nec modicis, nec paucis voluminibus explicare

care studuerunt. cuius cum sint duæ laboris partes, vna, quæ moris iurisque patrii historiam perpetua temporum rerumque serie, ex incorruptis monumentis expromit; altera, quæ ipsam formam ciuitatis habitumque per vniuersa & singula constituti corporis momenta interpretatur: quid trepidationis, bone Deus, quid tumultus existit, antequam, quæ sit omnino disciplina ciuitatis, quod nomen, suspicari possis? Ille de toto reipublicæ corpore dubitat: iste formam ciuitatis vel descriptam torquet, vel fictam describit. nunc simplex neque quicquam dissimilium rerum admistum habens natura ciuitatis ignoratur: nunc miscendæ & temperandæ ratio reipublicæ vera spernitur, aliena excogitatur, falsa adornatur. non iura, à simulacris; non temperati mixtique status regula, à regendi consilio & arte, discernuntur. Ipsa suprema regendæ ciuitatis potestas, neque in summa, neque in partibus suam vim & indolem persuadere tumultuariis illis philosophis potest, quin prodigia loquantur, & reipublicæ vinculum, dum male explicatur, soluant.

Quid proprio, quid fiduciario iure conueniat in hos aut illos, magna sæpe dubitatio est. Et quamquam satis constat, studiis priuatis & obsequiis ad aulam & tempus comparatis, tolerari augerique omnem illam perturbatam, confusam atque abnormem sapientiam: prorsus tamen adducor, vt credam, pudore famæ reuocatum iri ad meliora nonnullorum animos, nisi publica ciuiliū studiorum neglectio, & errantium numerus auctoritasque, quicquid subest vitii, vltro regeret & dissimularet. Atque ita profectum est ad istam opportunam calidioribus consiliis impudentiam, cuius beneficio, nihil tam est in omni ciuili disputatione importunum, absurdum, perplexum, quod nequeat fluctuantis ac nouæ inauditæque huius philosophiæ more & consuetudine formari, definiri, absolui, in quamcunque velis partem, ad quoscunque vsus, qua denique quisquam cupiat formula. Hæc est politica illorum hominum: quod vocabulum semper in ore habent. Miseret me ciuitatis, quæ præter ceteras opus habebat accuratiore ciuili doctrina, inter assiduas

duas de ratione reipublicæ conseruan-
dæ regendæque concertationes. En ti-
bi, Modeste, libellum indicem senten-
tiarum ab omni veritate & eruditione
abhorrentium : quas, nisi meis oculis,
nemini accredidissem. Tuum erit, alia
via iter ad ciuilis viri laudem consequen-
dam ingredi, perceptisque solidioribus
doctrinis, historiam externarum & do-
mesticarum rerum studiosius adiunge-
re, iurisque diuini & humani grauiorem
intelligentiam, cum expedita & facili
eloquentia copulare, vt non studia nunc
minus tua, quàm olim officia & curæ,
patriæ consecrari videantur.

Consecutus erat vna sui auctoris li-
beralitate Modestus, quæ longa inue-
stigatione adipisci se posse, nunquam
ausus erat sperare. Igitur fortunam
suam miris venerari laudibus cœpit, tam
luculentas & cotidianas, vnde non vul-
garia disceret, occasiones offerentem.
Primo enim & proximo die, cum in Mu-
seum rediisset, grauissimæ disputationi
interuenit. Nil fere rerum nouitate &
euentu memorabilium potioribus or-
bis terrarum gentiumque locis accidit,

de quo non consortes Musei amicorum literis edoceantur. Sicut tum allata erat res, & atrocitate facti, & sententia iudicis admirabiliter singularis. Adolefcens quidam honesto natus genere, captus amore virginis in celebri vrbe, à parentibus eius, vix duris legibus, neque nisi deserto cultu sacrorum patrio, vt vxorem duceret, impetrat: offensis, neque abunde, quæ desiderabat, ab initio submittentibus cognatis. Coniunctis nuptiis, cum in domo soceri cum noua nupta ageret maritus, socrus femina sæuioris & pæne truculenti in liberos animi, filiam vt suæ vnus potestati subditam violentis cœpit imperiis vexare, neque generum melius tractare. Qui subinde à socero, in eandem impotentiam demutato, domo exactus est, cum interim apud parentes vxor retineretur. Quid isthoc homine fieri poterat miserius? cui tanto ambitu expetitum & vix ægre adeptum matrimonium, nec nouæ affinitatis gratiam conseruauit, & necessariorum voluntates alienauit: vt hospitia sæpius mutare coactus, & ad inopiam tandem redactus, nec in iudicium

cum sententia, vxorem marito cum copiolis necessariis reddi iubentium, solatium iuueniret, focero varia caussante, & morarum titulos vndique conquirente. Fessi ergo tot iniuriis, & distractionem illam pertasi coniuges (nam vxor egregie constantem se in amore prae-buit) clanculum ex vrbe secedendi & ad affinem mariti tanquam receptus & confugii causa demigrandi consilium capiunt. Die festo matrem è templo redeuntem filia subsequatur: cum accedens pone maritus manu prehensam recta ad portam vrbis ducit, paratum foris vehiculum cum ea conscensurus. Tumultuoso matris nuntio excitus pater feminae, Duumvirum quendam adit, filiamque abduci ad ludibrium, haut dubie posthac proiiciendam ab insipiente & prodigo marito, questus, vt is vna secum, assumptis licitoribus ad retrahendos coniuges, parum officii ac potestatis memor eo non pertinentis, procureret, efficit. Haerentibus adhuc apud vallum vrbis coniugibus, & dum recluderetur porta opperientibus, cum licitoribus Pater & Duumuir superueniunt;

D 4 cumque

cumque manus iam iniicere pararent marito lictores, illi legitimi matrimonij iura præfati, nulliusque se delicti vel compertos, vel merito suspectos testati, vim deprecabantur. Cumque in eo frustra se esse intelligerent, euaginato maritus gladio vi repellere vim contendit: focero & Duumuiro magno clamore lictores cohortantibus, atque ut ferirent, iubentibus. Ibitum infelix ille maritus, immani & horrendo consilio, cum præfatus esset, neminem alium sua coniuge potiturum, nec mortis minus quam vitæ participem se illi futurum, geminato ictu (post primum enim vulnus, quod per errorem sibi putabat inflatum, ultro misera ad maritum accurrit) pectus eius transfigit: vnde paulo post in propinqua domo, nullo amplius sermone edito, expiravit. Auctor cædis, licitorum plagis pessum datus, in carcerem raptatur: ubi recepto ex consternatione animo, miserabili eiulatu, questu, gemitu, mortem ut vnicum miseriarum remedium voto expetebat. Exciuerat atrocitas casus totius vrbis lamenta & miserationem: parentumque inhu-

inhumana asperitas, & duumviri mox officio, sicut meruerat, deiecti temeraria violentia, omnium conuitio verberabantur. Reo in vinculis ab initio nec votum, vt diximus, nec spes incolumitatis supererat. Erigentibus tamen, qui subinde ad eum inuisebant, cognatis & iurisperitis, tentata est defensio: hoc imprimis obtentu: quod in pueritia graui prolapsione ad casum datus, ex eo tempore capitis infirmitate laborare, & accidentibus externis irritamentis, qualia hic in summa & multiplici perturbatione animi, nec non licetorum verberibus demonstrabantur, vsum rationis parum expedire coepisset. Ita factum est, vt effugeret homicidii poenam, & in Hungariae aliqua arce Turcis opposita per aliquot annos suis impensis militiam tolerare, cautione apud iudicem interposita, iuberetur. Dedit haec sententia iudicis occasionem, de re tota differendi amplius: nec deerat, qui iudicem reprehendere graui oratione instituebat. Estne, inquiebat, homicidium ex illis criminibus, quae capite puniri ipsa Dei lex, humani generis securitas, omnium na-

D S tionum

tionum gentiumque ratio, omnis æui exempla iubent? Quid in parricidio oportet decernere? An fas, etiam iudici regio iure & nomine prædito, vertere quæ æterna ratio immota esse voluit? Quanto reipublicæ detrimento, quanta sæculi infamia viuet parricida vxoris? In se suosque ciues poenam alienam vertit, qui atrocissimorum facinorum manifestos merito non mactat supplicio: crudelis in viscera sua, dum inanem speciem clementiæ, necessitudini officii, querelis optimi cuiusque, & reuerentiæ famæ fatique anteponit. Nunquam placuit bonis ac prudentibus viris lenitas iudicis, potestatem suam parcendo ostentantis in eo maleficiorum genere, quæ non nisi magnitudine supplicii expiantur. Facinus immane, barbarum, inauditum! puella, & vxor, & amans, & fortunam mariti, haud sane lætam, tum maxime sequens, inter ipsa obsequia, ab eo perditur, quem seruatum ibat. Quid iram obtendis? in lædentem, in aduersarium iratos furere videmus. hæc vna aduersus omnes inimicos amica, socia, comes non modo nulla re læserat inter-

interfectorem suum, sed ad id, ne à quoquam ultra lædi posset, summa ope contendebat. At enim amor, at zelotypia manum ad scelestæ vulnera impetu deflexit? Cuius feræ rabiem tam infestus amor non nisi cognato sanguine placat? Infanus verò hominis timor, ne alius potiretur tam fida coniuge; quam paulo post à parentibus iudicio recepturus erat, nisi infanioris timoris remedio effecisset, ut marito prius quàm aliis periret. Ad maxima quæque facinorum quadam animi agitatione, & quodam quasi motu æstuque rapiuntur homines. Male utique cum ciuili ageretur societate, si truces & turbidos affectus venia prosequi fas esset. Non erunt homicidæ, non damnabuntur capitis infesta tranquillitati publicæ & importuna hominum genera, cessabunt leges, si immanis & præferuida ira, si cupiditas, si perturbati labes animi aliæ, inter patrociniarum nomina sceleribus præscribentur. Atque hic non de cæde, sed de parricidio, nondum satis dixi, de parricidio noui & inauditi generis agitur. Occidit aliquis uxorem, ne vim & contumeliam hostium

stium

stium barbarorum, aut infandi stupra-
toris perferre cogeretur. subuenit præ-
optanti mortem, & remedium credidit,
mutare genus exitii. Nihil misera ista &
infanda audacia, quod cum huius par-
ricidæ immanitate comparetur, habet.
Nullum infelici feminae periculum, si
manum mariti latronis exciperes, aliun-
de imminebat. Quare non ipsa sibi, non
vulneri, non sanguini suo credidit,
cum parricidali ictu faucia, adhuc tan-
quam mariti amplexu refoueri cuperet,
neque amare prius quàm viuere desine-
ret. Horrendum dictu! ad geminan-
dum scelus duravit crudelitas in talem
& foeminam, & vxorem, & seruatri-
cem. Hæc est, quæ amatorem pæne
depereuntem suo matrimonio in vitam
reuocauit: hæc parentum iniurias pri-
mum cum ipso, postea pro ipso tole-
rauit: hæc non inopia mariti, ad fasti-
dium; non absentia exuendam ad fi-
dem, non periculo ad segreganda con-
silia compelli potuit, quin quod semel
facere coeperat, pertenderet, & mala
perpetua, ingentia, peruicacia in salu-
tem conuerteret. In his occupatæ ope-
ribus

ribus mors pro gratia redditur. Hoc ipsum inquis, amentis est. nemo sanus occidit foeminam: quid vxorem? quid tam praeclare meritam? Mentem labefactauerat homini iam olim casus, imminuerat miseria, exturbauerat desperatio. Ecquæ potuit esse in animo tot curis, ærumnis, minis, clamoribus perturbato sanitas? Tempori miserissimi huius mortalis, quod excelsos etiam & intactos valetudine frangere animos potest, non consilio quod nullum fuit, tribui debet, quicquid hoc est infortunii. Audio equidem ista iactari: & meministi, non excusari tam facile parricidium, quàm fieri. Si in flagitiorum ultimis rhetoricari scilicet fas est, omne verum de rebus iudicium & discrimen tolletur: neque quisquam atrociam peccasse, nisi per amentiam, videbitur. Apud iudicem grauem & sanctum alleganti dementiam non possunt prodesse declamatorum flosculi, sed incorrupta rerum fide nixa testimonia. Quinam spectati vsu & scientia medici parricidam hunc in furiosorum & vesanorum censum retulerunt? Fuerit ille non sapientif-

pientissimus. qui enim homo segne
 otium specioso studiorum nomine ve-
 lare assuetus, & in Academiis Bacchana-
 lia sæpius, quàm Quinquatrua cele-
 brare doctus, repente Thales aut Bias
 euaderet? Pro stulto quidem à nemi-
 ne vnquam habitus est. Non latent au-
 tem eiusmodi labes animorum, sed ru-
 more vulgi & fama publica insigniun-
 tur. Magnum ad veri falsiue fidem in-
 silentio famæ argumentum est: quæ
 tantum abest, vt manifesta dissimulet,
 ne ambigua quidem ingenii & morum
 interpretari veretur. Vnde ergo repen-
 te, præter omnium opinionem, tan-
 quam Ajax lorarius in scenam, furiosus
 parricida inducitur? Solet pro tribu-
 nali etiam de mente captis merito quæ-
 ri, vtrum perpetuum sit malum, an ab-
 scedat, & interuallo redeat: vtrum eo
 temporis momento compos mentis
 fuerit, an impos, quo facinus admisit,
 qui causam dicit. Fingeres, hunc ho-
 minem aliquando insanisse, quod ne-
 mo tamen antea quisquam suspicatus
 est: ad vxoris quidem cædem etiam ar-
 gumentando descendit. Rationem sce-
 leris

leris exponit, antequam faceret. Occidam te, inquit, ne, si mihi in hac concertatione aliquid accidat, incomitatus moriar: ægre faciam illis, qui inter nos dissidium volunt: ne decedam de possessione mihi debita, efficiam, ne sit, quod possideri queat: ne alius meos amores inuadat, mea opera nihil erit, quod ametur. Nemo furiosus de eo, quod facturus est, tam solícite, tam sedulo ratiocinatur: impetu ad facinus feruntur, quod quale sit, nec ante intelligunt, nec postea æstimant. Clementem vero iudicem, cui reus, peracto scelere ipse iustissima sententia se capitis damnans, conseruandus videri potuit. Magna scilicet vis est conscientia, id est, diuinæ legis in animo hominum peracto scelere loquentis. non enim vni populo, sed humano generi præceptum meminerat parricida, vt sanguis interfecti hominis (quid proxima necessitudine iuncti?) sanguine interfectoris expiaretur. Mihi non tam misericordia in iudice, quàm misericordia ratio probanda videtur. Veniam dare miseris, parcere infelicibus,
libe-

liberare supplicio noxios, tum demum humanitas est, quando & in quantum publica iustitiæ ratio non repugnat. Si omnino clementiæ laudem tantopere adamavit hic iudex, vna ipsi, qua eo tenderet, relinquebatur via, vt parricidii quidem poenam reo donaret, homicidii irrogaret. Satis leniter gladio perit, qui culeo aut rota interire debuerat. Excitavit hæc oratio virum in illo confessu & condendi & reddendi iuris peritissimum, vt pro iudice in hanc sententiam differeret: Præclarè dicunt sapiuntque, qui ciuilem hominum societatem seueritate legum iudiciorumque vndique muniendam statuunt; & atrocitati facinorum poenæ magnitudinem adæquari oportere contendunt. Cædem quoque non nisi cæde pensari, causas habent ingentes, cur decernant. Verum enimvero nullum est delicti genus, in quo non possint aliqua occurrere, quæ poenæ modum & iudicis æquitatem desiderent. Tam est variis casibus exposita hominum vita, tam assiduis agitur erroribus, vexatur perturbationibus, vt solitudo futura sit & vastitas in ciuitate, nisi moderatio Principis prudenti factorum æstimatione & discrimine

scrimine diræ necessitatis incommodis medeatur. Peroratum est hætenus vt in parricidam : neque quisquam abnuat, horrendi generis infortuniuni versari in hoc casu. Sed si vnquam considerari meruerunt incitamenta & stimuli, quibus humanum pectus extra se rapi potest, hic profecto locus fuit diligentia iudicis & æquanimitati. Fuerit ille non stultus. sed, quo in transuersum actus est, impetum omni stultitia concitatiorem dixeris. Diuturno lentoque malorum auctu, veluti per gradus ad præcipitium propulsus est miserrimus mortalium. Quàm inhumana soceri & focrus feritas fuerit, non opus est argumentis ostendere, si vnum illud cogites : filia adulescentulæ & pulcerrimæ, & tam tristi fato extinctæ parentes (si modo hoc nomine appellari debent) sicis oculis exequias iuisse. Horum mores & domi, & domo expulsus pertulit: superuenientibus aliis ex alia calamitatibus. Carendum erat vxore tanto ambitu expetita : nullum in iudice, sæpe interpellato, auxilium aut serum, spe totiens frustrata, ostendebatur: defece-

E

rant

rant familiares opes, partim apud focum retentæ; & ille nuper diuitiis inclytus, squalore & mœstitia ad similem fortunæ suæ habitum redactus, digito prætereuntium notabatur. Aduersus tot contumelias, angores, necessitates, quod potuit remedium iustius minusq; inuidiosum excogitare, quàm fugam cum vxore, diuino humanoque iure sibi debita, summamque per iniuriam intercepta? Ab vltimo hoc conatu deiectus, fœdo præterea licitorum agmine circumuentus inter vim & verbera, inter amittendi & habendi acerrimos metus, quid consilii, quid animi retineret, & iuuenis, & amans, & tot rerum verborumque acerbitatibus diu exagitatus, & tum maxime ira, zelotypia, desperatione irritatus? vna est, quæ præsentioribus stimulis in rabiem versa, naturæ & rationi exitium affert ira: quid tot tantique motus in vno pectore, vno tempore, sociatis irritamentis & turbamentis, non miscerent, concuterent, euerterent? Quoquo se verteret, offusa vndique casuum ingentium caligo, horror, nox mera, cum
men-

mentem animi eripuisset, pro remediis exitium inuenit: & in fatorum vltima, non auribus, oculis, ratione aut sensu iam competens præcipitat. Nullum est tam immotum aduersus humanos casus clausumque pectus, quin consilium abfuisse factò, nec ratiocinantis verba, sed delirantis exerrantem linguam sonuisse intelligat, & quodam modo sentiat. Hunc pro parricida iudex damnet? hunc illis afficeret suppliciis, quæ cogitatum meditatumque scelus manent? At vero immanis casus nouitas, noua prudentiæ & æquitatis consilia non suadebat modo, sed exostulabat. Igitur cui ex fatali consternatione redeunti, & , vt sic dixerim, reuiuiscen- ti factum suum cœco impetu patratum, in supplicium ingens morteque atrocius verterat, hunc iudex primo capitalis iudicii horrore perfusum, mox ad id munus destinauit, cui sustinendo etiam ex vinculis capitalium rerum consilio deliberato perpetratarum damnatos solui, apud plerosque populos mos est. Nam de parricidii quidem poena nihil attinet verba facere: cum Romanis etiam, vn-



de exempla seueritatis eius petuntur, ea moderatio placuerit, vt quamuis manifesti parricidii reum, culeo tamen non nisi confessum insuerent. Addebantur alia huius generis ad commendandam iudicis prudentiam & æquitatem: plerisque qui aderant cum assensu hæc talia audientibus. quamquam vnus & alter, miserum quidem illum, sed manifestæ & atrocis cædis reum sola iudicis clementia supplicium meritum euasisse, cum illo, qui ante perorauerat, hætenus differebant, vt iudicem tamen eo nomine reprehendere non auderent.

Modesto per insignem ad cogitandum locum demonstrauit postea, cui se tanquam magistro & duci adiunxerat, de omni Æquitatis ratione, præsertim in iudice summa potestate prædito. Sunt quidem, inquit, æquitatis speciminibus & imitamentis plenissimæ Romani iuris reliquiæ, partemque laudis haud postremam huic nomini debent: sed qui eius argumenti aliqua persecuti sunt (nominatim hos percurabat) egregii operis gloriam reliquerunt

runt vel tibi, vel qui alius palmam in medio positam auferre properauerit. Neque enim sufficit, æquitatem iudicis per obuia quædam locorum communium vocabula laudare, sed partite & subtiliter scientiam æqui bonique eo constituere loco oportet, vnde iudici in promptu sit animaduvertere, quousque bonis moderationis & clementiæ rationibus præter legum imperia auscultare, & necessitatem siue temperare, siue euadere fas sit. Primam & præcipuam huius disciplinæ partem Diuinis tradita literis monumenta instruent: multum deinde omnis antiquitatis sapientia erudietur, qui ex Poëtarum, Oratorum, Philosophorum, Historicorum, Jureconsultorum scriptis abdita eruere, vtilia seligere & componere didicerit. Reperiet etiam, nec dubito, inexplicabiles quosdam nodos in hoc genere: quibus inspiciendis non inutilem, dissoluendis irritam collocari operam, vir prudens forte existimauerit. Alte descendit hæc oratio in animum Modesti, quantumque esset in tali argumento consilii ac doctrinæ, si-



gnatis quasi vestigiis, apud memorem
& cupidum rariorum literarum repræ-
sentauit.

Igitur, cum in Museo, vbi iam
omnes amare eius indolem coeperant,
humanitate colloquentium prouoca-
tus, sermonem ordiretur, non alia fuit
eius oratio, quàm quæ de inferiore stu-
diorum liberalium ratione dubitaret,
aut requireret. Cumque videam, in-
quit, inanibus vulgo vocibus iactari va-
na sapientiæ simulacra, pæne adducor,
vt existimem, vere prudentis viri, & rem-
publicam litterarum subsidio recte ge-
sturi, exempla non magis hodie reperi-
ri, quàm Stoicorum olim, tot disputa-
tionibus in vmbra adornatum sapien-
tem, in luce atque oculis ciuitatis con-
spicere licuit. Bona verba, Modeste: ex-
cepit è Museo vir & natalium honestate,
& omni liberali dignaque homine nobi-
li doctrina percepta, maximis rebus tra-
ctandis aptissimus, nisi consilio quodam
altiore, se à republica gerenda remouif-
set. Minuent & euellent tibi hanc opi-
nionem commentarii Musei nostri, in
quibus ad instituendam huius temporis
histo-

historiam, nihil rerum aut hominum
præstantium præteritur, quin incorru-
pta testium aut monumentorum fide in
apparatum quendam cogatur. Dabo
tibi è Germanis tuis tres viros, non ad
sui tantum, sed omnis ævi exemplum &
memoriam illustres. Sunt equidem,
nec ignoro, & alii, in aulis Principum,
in Curiis Rerumpublicarum, nulla bo-
na arte ad ornandum, quem tenent, lo-
cum destituti. Sed quid attinet, omnes
enumerare? Dicam de illis, quorum in
sinu & familiaritate, cum peregrinatio-
nibus operam darem, ea potui animad-
vertere & cognoscere, quæ in instru-
mento Musei nostri, quo de cœperam
loqui, pulcerrimum locum suo merito
obtinerent. Incipiam signa & notas po-
nere: non latebunt te nomina, quæ istis
meritis debeant assignari. Princeps est
nemini in Germania secundus auctorida-
te, multo rerum usu, summâ prudentiâ,
morum commodissimorum suauitate:
&, ne laudum maiorum parum videar
meminisse, Germanicæ pacis ac tran-
quillitatis sollicita, constanti, fidelique
tutela. Iam bello omnia apud vos arde-

rent, puto, quod mota iisdem omini-
 bus, quibus paulo ante, sidera manife-
 stissimis tempestatis luctuosæ indiciis
 significabant: nisi Deus hunc sæculi sui
 Nestorem, hunc Quietis publicæ custo-
 dem ac genium salutarem, ad prouiden-
 dum, ne quid respublica detrimenti ca-
 peret, auspiciis altioribus, exemplo sin-
 gulari excitasset. Apud tanti Herois la-
 tus vidi versari ministrum, ad sustinen-
 das maximarum rerum curas omnibus
 ingenii animiq; dotibus instructissimum.
 Porrecta in abditos negotiorum recessus
 sollertia, expeditum in impeditis iudi-
 cium, prouiso extemporalis futuri;
 consultatio inter prærupta & mollia, re-
 cte destinata, mature librata, cordate ex-
 prompta: cuncta hæc, inquam, non com-
 munibus enuntianda vocabulis nomi-
 na, literis exquisitis & interioribus, tan-
 quam spiritu & anima ad felicitatem &
 decus nostræ ætatis temperantur. In
 huius vita atque actibus, Modeste, me-
 lius quàm in vllis libris ac sermonibus
 eruditorum, semel ac penitus licet per-
 spicere, quænam sit illa ciuilis pruden-
 tia, quam cum veteres omnibus & ho-
 minibus

minibus & negotiis moderari dixerunt, eadem opera de ingenii & doctrinæ tali grauitate, qualem tibi demonstro, cogitarunt. Animus sine fastu alte situs, magnitudinem suam candore, naturæ bonitate tuetur: omnibuique tricis aulicis, & dissidendi concertandique libidine superior, facile nubeculas minutiarum & argutiarum, quæ nonnullis pro sapientia sunt, vel illustrat, vel dissipat. Quicquid præclari in omnis sapientiæ monumentis occurrit, statim scholam & vmbra exuit, statim vsui & decori publico sacrum est, vbi in huius viri studia incidit, aut sub eius manum succedit. Sæpe animaduerti, viros varia eruditione celebres, quibus impense fauet, obstupescere illis sermonibus, qui vel ignota patefacerent, vel notis exploratisque nouam & ciuilem formam darent; ipsumque animum vigore quodam & latioris genii luce perfunderent. Adeo & doctiores, & ad sua quisque munia alacriores ab eo discedebant. Neque enim priuatim sui dissimilis esse potest, qui in publico sui Principis amplissimoque patriæ negotio peritorum actiones

E §

accu-

accurata norma dirigit; industriorum labores certis disponit partibus, idoneis describit limitibus; doctorum placita ad præsentis vitæ vsus, prudentum sententias ad salutis publicæ modulos exigit. Hunc non ingenium modo suum, ut nonnemo veterum loqui instituit, sed naturam vniuersam, sed scientiam omnem, in promptu habere dixeris. Magna sunt, quæ sustinet, sed maioribus par est. Imo in paucissimis illis, quorum vix singulis ætatibus, singulis populis vnum contingere videmus, ingeniis, hoc reponi debere, nunquam dubitavi: cum sic opera eius consiliaque, & quicquid supra fortunam est, suspexi, ut plerique splendorem generis, muneris dignitatem, formæ auctoritatem mirabantur. Nulla erat mora, quin agnosceret ex templo his iudiciis, hilarique animo & ore prædicaret Modestus, summi Principis summum ministrum, Eminentissimi Electoris Moguntini Boineburgium. Hic est ille, aiebat, quem non visum equidem sed fama hæcenus illustrissimi nominis cognitum, toto animo venerandum, omnique studio intel-

intelligendum proposui. quo in genere, viam disciplinæ nunc tam exacto sermone signatam, libenter meritoque persequar: atque adeo ad reliqua etiam duo exempla, quorum spes facta est, cognoscenda me comparabo. Tum ille, qui Modesti sermone suam interiungi orationem voluerat, Forstneri nomen sine ambagibus professus, hunc ego, inquit, virum inter rarissima eius generis, quod quærimus, exempla nominandum semper iudicavi. Eruditio eius, mira iudicii felicitate, quantum à sterilitate, tantum ab ostentatione seiuncta, habilem ad ciuiles vsus & promptam dexteritatem in media publicarum curarum penetralia, nunquam intempestiue, nunquam inualide aut ineleganter profert. Sensus viri, ad recondita acer; ad cotidiana, communis. Vitæ, cultus, sermonis, consuetudinis ea moderatio, quæ nisi T. Pomponii Attici elegantia comparatur, æstimatione parum æqua pensabitur. Cumque summos apud Principes honorum opumque amplissimas spes occasio non semel offerret, maluit, quod est sapientiæ vltimum, ex fortuna modum

dum retinere ; & Principis sui felicitati, quàm suis incrementis operam dare. Quo factum est, vt præter morem & fas sæculi, & sentire de præcipuis rebus, quæ vellet, & quæ sentiebat, expromere posset. Nouum & decorum ingenuæ libertatis genus : quod & illi arguere verentur, qui quædam indicta mallent. De iis, quæ ad Tacitum retulit, loquor. Obseruaſtine, Modeſte, quàm feliciter in iis etiam, quæ adoleſcentior ſcripſit, noua cum antiquis contulerit, quantum ille ab obſcuro vetuſtate petitiæ lucis in abſtruſam nouitatem intulerit? ceteros, quid Tacitus ſuo fuiſſet ſæculo ; hunc, quid omnibus eſſet ſæculis, ſtatim peruiſiſſe credideris. Nam quæ ab vndecimo Annalium libro perſecutus eſt, prouentioris iam multoque rerum vſu eruditiæ ætatis exquiſita ſpecimina ſunt. De quibus nemo, niſi peritia interiore rerum hominumque Europæ imbutus, idoneum tulerit iudicium: Ingeniorum ad lucem & res gerendas natorum hæc palæſtra eſt: in quam parum feliciter deſcendit vir eruditus ille quidem multis literis, & Forſtnero amicus, ſed bibliothec-

thecarum vmbraulis aptior, quando Forstnerum & Gruterum plus ad Tacitum eruditionis, quàm decet, attulisse in censura librorum ciuilium, arbitratus est. Quid omnino Gruteri diffusæ & ad locos communes implendos factæ dissertationes, cum politulis Forstneri & limatulis animaduersionibus commune habent? Alteræ quid in eruditionis apparatu copiosum; alteræ quid in vsu eruditionis electum sit ac ciuile, ostendunt. Id debebat vir candidus, si satis indolem vel Taciti vel Forstneri cepisset, dicere: vnum esse Forstnerum, qui super sapientiam experientiamque, etiam id genus eruditionis ad grauissimum scriptorem attulerit, quod & decere & valere solum hic debeat possitque. Id quod amplius apparebit iis, qui magni æstimatas & ineditas Boccalini in Tacitum curas contendere instituerit cum Forstnerianis. Illæ sane proficisci videbuntur ab homine acuto & immensum curioso, sed per errorem aut abusum iudicii nonnunquam ad declinanda elabente: harum auctor recto tramite, gradu indeflexo, per vestigia magni cordatique consilii, ad reipublicam

publicæ intima quæque grassatur. Abunde id declarant etiam epistolæ singularis itidem exempli de rebus maximis scriptæ: quarum aliquæ olim non inconsulto auctore in publicum exierunt: qui autem nouissimas, nulla reuerentia tanti nominis, nullo iuris humani respectu temere vulgavit, is non eo tantum facinore se obstrinxit, quod ipsæ Forstneri literæ ad Bœclerum scriptæ editæque demonstrant, sed effecit insuper, vt huiusmodi literarum commercii fructu, in rebus ad rempublicam pertinentibus, amici carere hætenus cogantur. Annuit huic orationi, qui ad Museum nuper aduectus, ex itinere Forstnerum salutauerat, homo ad demerendam & ambiendam magnorum virorum amicitiam, quodammodo genitus. O prandium, aiebat, supra omnes Platonis cœnas, lautum delictatumque, quo tot electæ comitatis, prudentiæ, doctrinæ specimina degustare licuit! Rusticabatur in Dambenoiano suo optimus dulcissimusque senex, & ab influentibus aulæ negotiis per breues neque eas bona fide continentes inducias impetrauerat: cum
impro-

improvisus saluator manum eius osculo contigi, literasque Fratris, non sanguinis magis quam laudis memoratae civiliūque artium germanitate coniunctissimi reuerenter tradidi. Quibus ille perlectis, humanissime me complexus, plenam requirendi, quæ ex eo audire desideraueram, audaciam fecit. Quos in Gallia, quos in Italia, viros adire, qua ope illis insinuari, quid à singulis optare aut sperare deberem, memoriter designauit. Quæ præsidia noscendæ reipublicæ Christianæ vniuersæ, quibus extra-ent aut laterent locis, quæ rebus patriis apud exteros subsidia comparare fas esset, quantæ suauitatis genio, quanta iudicii grauitate edisseruit? Cum de arte rem faciendi publice, deque augendis ciuitatum copiis & custodiendis, sermo incidisset, quàm ille in numerato habuit omnium hodie gentium inuenta, artes, adminicula, non apertis modo viribus, sed ex paruo ad magnum profectura? De scriptoribus superioris & huius sæculi, quàm rara, & pulcra, ipsisque qui familiari vsu aut lectione illos nouerant inobseruata, ex amplissimo memoriae

riæ

riæ ac sapientiæ penu per liberaliter & benignè depromebat? omnis eius sermo quibusdam ciuilibus vsus notis insignis, mihi oculum quendam mentis acuerè, rerumque veluti præsentem formam commonstrare videbatur. in mensa quoque non tam elegantissima mundities, quàm plena seriis disciplinis colloquia, & mixtissima virtutis indole familiaritas, me iuuerunt: eminente, interlectissimorum trium filiorum obsequia, & subsidiariæ comitatus officia patriæ auctoritatis decore. Sed felicitatem eius diei, aliis debeo monumentis consecrare, quàm breui ista narratione, cuius interiectu orationem vestram differri hæcenus, ne ægre feratis, oro quæsoque. Revertebatur ergo ad tertium illustris & spectatæ in republica tractanda eruditionis specimen oratio. vbi auctor suscepti eius sermonis, nescio, inquit, an velit occultari suum nomen, quem nunc designabo; si modo latere tanta virtus potest in conspicuo posita etiam sine titulis monumento. Vidi aulam Principis, sanctissimis moribus, & probatissimis agendi imperii rationibus institutam, vt Xenophontis Cyrum non ad fidem scilicet historiæ, sed ad imaginem boni Principatus scriptum, aut

Plinii

Plinii Traianum, oratorio potius quàm historico opere adornatum, memorari & extolli censerem, si alieno ista notitia testimonio niteretur. Hic inter prospera sua numerat, quem nactus est, consiliorum operumque ministrum, quo meliorem nemo Principum optauerit. Summi, & Heroibus tantum concessi instituti est, ex rebus paruis industria & prudentia magnas facere. Eius artis scientissimus ea Principi suo officia præstat, quæ hætenus, puto, in illis terris exemplo carent. Cumque laborum tolerantissimus Princeps, haud mollibus imperiis tempora & negotia singulis ministrorum partiatur, vnus ille non raro plurium vicem sustinet suppletque: respondendo, consultando, voce, calamo promptus ac indefessus; neque extemporalis facilitate de grauitate loci, aut subtilitate curarum quicquam diminuere solitus. In iure dicundo vel præsentis Principis, vel in communi pluribus tribunali absentium Principum auctoritatem religione & doctrina pulcre tuetur. Dicam vobis rarum, & vulgaribus ingenis inaccessum sapientiæ genus. Solicite
F accu-

accuratus est in cognoscendis & definiendis causis Princeps: neque satis habet, audisse aliquam legem, aut nomina ac sententias eorum, qui in simili causa pronuntiarunt, percepisse: quid iudicandum omnino ex rationis bene informatae præscripto sit, declaratum ostensumque dari postulat. Hic vero ille, quem dixi, optimi Principis præstantissimus amicus, iureconsultum agit non ex eorum genere, qui sapienter aliis reperta quædam pro modulo suarum angustiarum annumerantes, in cetera superbiam pro sapientia habent: sed ex ipsis fontibus omnem illam nobilioris philosophiæ rationem ita probe subductam expensamque promit, sicut ii solent, qui leges condere, aut condentibus suadere, aut nondum inuenta constituere aggressi, intelligendi prius quam decernendi copiam sibi aliisque præbent. Nihil sanctius illo consilio, in quo non valet iuris auctoritas, nisi valuerit ante iuris ratio. Hæc enim Deo debetur, & æterna est: illa hominum est, diuinâ quidem vice, sed non recte, nisi ad huius normam fungentium. illam imperiti possunt

possunt iactare : hanc explicare, & suis momentis conscrere, sapientis est. Non mirum ergo, si exemplum etiam absentis Principis in partem rationis venit diversa apud tribunalia. In quibus boni etiam viri haud raro consuetudini obsequuntur, nisi sit, qui excussis & in lucem datis omnibus ad recte sentiendum iudicandumque praesidiis, ad altas illas & nobili officio dignas curas, iudicum animos erigat & traducat. Non autem in hoc tantum genere praecellit vir ille vere ciuiler doctus, sed omnium rerum artiumque ad reipublicae vsus attemperandarum mirus est architectus atque machinator. Cum enim ad secreta scientiarum, quatenus & vni & negotiorum conficientissimo homini fas est, penetrauerit, quae illi laus cum paucis aliis communis est, proprio quodam ingenii bono, eruditorum singulis, quid in eruditione ad vsus vitae necessarios melius, quid ad speciem pulcrius sit, demonstrare potest & solet. Talis enim & tantus in reipublicam labor, assiduitas, contentio, non extinguit familiaritatem cum Musis tam seuerioribus, quam mansuetioribus, ad



quas se decora sedulitate sapius refert. Quibus etiam debet, ut arbitror, quietæ illud industriæ specimen in primis elegans: quanquam naturæ excellentis quodam habitu eximie temperatum id existimes informatumque. Non potuit obscurum esse designari hac oratione Principum decus Ernestum Saxonicum, & præcipuum è generosis ministris V.L. S. quem & in Museo plerique nouerant, & Modestus, suffragatione eius Musei confessoribus traditus, eximia caritate diligebat. Quin & de ingenii eius monumentis aliqua attulerat, in iis descriptionem aulae & Principis, quem dixi, quæ Bibliothecæ secretioris instrumento accesserant.

Magnus in Museo modus est eximiorum scriptorum: quæ auctores vel nunquam vel nondum vulgari cupientes, partem ut xenia illuc miserunt, partem apud fidas manus in usum posteritatis deponere aut censuræ collegii subiicere consueuerunt. Distinguuntur argumento, lingua, nationibus. Multa ad rem publicam, eiusque statum pertinent: alia exquisitiores literas & mysteria reconditiorum

tiorum doctrinarum spectant. In quibus nomen trium, qui hactenus in argumentum sermonis venerant, suis alienisque iudiciis ac operibus bonam partem facit. Modestus tam lætam sibi surrexisse eam lucem, plurimum gauisus, iam scienter & erudite venerari videbatur, quibus hactenus vel occulto quodam instinctu, vel demonstrato quod ambiuerat patrocinio, sua obsequia & amores dicauerat, auspicata & illustria ad omne laudum & sæculi decus nomina. Et contraxerat iam cum V. L. S. fratre in itinere Britannico amicitiam, communibus studiis & propositis egregiè fundatam: quam sibi tum ad alia multa egregia, tum ad hoc ipsum institutum profuturam non dubitabat.

Et forte ita acciderat, ut Musei confortibus, memorabilium rerum cupidis, exhibere posset perscriptam ex ea aula, & ab ea manu, rem in magnis & raris huius sæculi casibus ponendam. Ecce, inquiebat, viri generosi & strenui, non steriles amicorum literas, aut inanibus verborum lenociniis refertas; sed quales vobis probare queant, earum re-



rum, quæ vel exemplo vel scientia iuuare lectorem solent, nuntias ac interpretes. Simul his, non sua oratione exquebatur argumentum epistolarum, sed ipsa verba recitabat in hanc sententiam: *Iohannes Comes Witgenstenius clarum bello paceque nomen adeptus est. Obiit ante annos tres, Colonia ad Spreunm, ubi Serenissimi Electoris Brandeburgici prouinciis summo cum imperio præerat, dum ille in Polonia & Daniæ bellum gereret. Huic Comiti plures ex una uxore liberi fuerunt; viginti quatuor, ni fallor, eorumque multi superstites sunt utriusque sexus. Filius natu maximus Comitatum Honsteinensem obtinet, habitatque in arce Lora, ad Thuringiæ fines haud procul Hercynia sylua sita. Apud hunc, ut fieri solet, innuptæ sorores habentur. Inter eas fuit Elisabetha Carlota annos septendecim nata, virgo omnibus virtutibus, quæ sexum eius & genus decerent, ornatissima, neque formæ indecoræ: Fratri uxori que eius, totique familiæ apprime chara. Admirabile imprimis erat pietatis & religionis in illa studium, quo ad sacras meditationes ultra iuuenilis ætatis morem ferebatur; indeque fiebat, ut etsi nihil ex officiis amici-
caque*

caque conuersatione, qua suos coleret, remittere soleret, neque ei quidquam ad commodam honestamque vitam deesset, nihilominus tamen quotidianis fere sermonibus, desiderium aeternae felicitatis, ad quam per beatam mortem transimus Christiani, testaretur. Talicum esset animo, sed firma valetudine, nulla aegritudine, aut atra bilis intemperie agitata, qua multi ad fanatica dicta & facta mouentur, accidit, ut mense Ianuario huius anni Fratrem, nihil tale expectantem, in cubiculo suo inuiseret, placidisque verbis, nec sine lacrymis, de obitu suo dicere ordiretur, proxime eum instare dictitans. neque se propinqui fati contemplatione contristari aiebat: nihil enim homini desiderabilius, meliusque esse: sed commiseratione humanae sortis, & amoris, quo suos complecteretur, motam, rogare fratrem, ut quoniam breue sibi, imo omnibus vitae tempus esset, eo impensius de duratura felicitate porro cogitaret, itaque viueret, ut futura potius, quam praesentis vitae rationem habere videretur. Addidit, se quaedam scripto comprehendisse, quod simul obsignatum porrexit; id postquam fato functa esset, ut legeret, obmixe orauit (continebat autem, ut

postmodum apparuit, tria ad Fratrem monita, corporis animaeque salutem spectantia) ceterum se optare, ut in caelestis illius vitae, quam unice desideraret, consortio quamprimum coniungerentur. Mæstus ad hæc frater, turbatusque inopinatis carissimæ Sororis sermonibus, reuocare eam tentabat ab eiusmodi cogitationibus, bono latoque animo esse iubens, conquisitis qua poterat, ad persuadendum argumentis. Verum illa in sententia perstitit, nihil tamen mutato cultu, aut neglecta comitate, reliquaque vite more. Vxori tamen fratris, sororibusq; suis & familiaribus fere omnibus, singillatim valedicens omnibus confirmavit, se haud diu superfuturam, ideo illos illasue Deo commendare, tum veniam orare, si quid fecisset, quo offendi aliquis potuisset. Aderant per eos dies Socer Comitæ & Socrus, aliiq; è necessariis, cum quibus humanissime conuersabatur virgo, nihil palam dicens faciensue, quod ad illam mortis meditationem pertineret: obseruantibus tamen paulo accuratius, plus solito cogitabunda videbatur, & tacita. Quintus decimus dies erat post primum illud cum Fratre de morte sua colloquium, abibantque mane, quos diximus, necessarii

cessarii Comitiss, cum virgo ad salutandos illos mane surgens, oblata sibi per quietem dixit, quibus in ea quam de obitu suo hactenus habuisset opinione, mirifice confirmaretur. Visam enim sibi in somnis flagrare arcem quandam, maternæ olim habitationi destinatam, neque restingui à se, quamuis laboraret, incendium potuisse; inter illam vero consternationem atq; molestiam, subito se in egregium quoddam templum esse delatam, eoque affectam gaudio, ut prioris metus prorsus fuerit oblita. Suggerebant amici aliam interpretationem, mutationemque conditionis, cælibis nempe vitæ, portendi, aiebant; sed eludere hæc illa, suæque tenax ententiæ scire se dixit, quid sibi significaretur. Postquam inter hæc discessere hospites, eaq; nocte niuibus, quæ hyeme præterita rarissimæ fuerunt, contacta esset humus, Comes, ut tempus falleret, an ut Sororem à tristi illa meditatione abstraheret, traha vehi voluit. ad quod delectamenti genus cum & ipsa inuitata descenderet, staretque in impluuiio iuxta fratrem, uxorem, aliosq; è suis, dum sedem quisque circumspicit aut capit; ecce equus traham vecturus, neque malus neque à quoquam incitatus, subito

F S

erectis

erectis calcibus ita adstantem à latere virginem in ceruice percussit, ut statim moribunda in terram procideret, obiretque ex templo nullum verbum prolocuta. Videant, quibus in fabulis sunt, quæ de vita hanc nostram secuturâ Deus reuelauit, quàm illustri exemplo refutentur, agnoscantque ipsius Dei vocem, & diuinatricem animæ diuinitus motæ vim, qua virgo eximia pietatis fata sua præuidit, præsensit, atque prædixit. In eo tamen non vulgariter felix, quod etsi insolito, minime tamen acerbo mortis genere, unico momento dolores angoresque morientium superauit, suiq; voti, quod semper in animo habebat, eo tamen temporis articulo compos facta est, cum se ad ludos atque recreationem pararet.

Hæc cum essent lecta, nec sine admiratione singularis casus audita, statim ex Museo ad Theologum quendam mittebantur: cui præ manibus erat disputatio de Diuinatione; in qua totius antiquitatis ethnicae & Christianæ sententias examinare. conducere exempli raritate notabilia, partiri quæstiones, finire limites, coërcere euagationes destinauerat. Quidam autem ex confessoribus, subito impetu

petu effusa veluti funebri laudatione
memoriam virginis in hunc fere mo-
dum honestabat.

BEATA ANIMA

INTER MORTALES ARTVS
NIL MORTALE SPIRANS,
COELI IN TERRIS CONSCIA,
DIVINATRIX SINE SVPERSTITIONE,
FATILOQVA SINE FVRORE,
MEDITATRIX FINIS SINE PLATONE,
ANTE OBITVM BEATA CONTRA SOLONEM,
QVÆ TE VIS RAPIT BLANDA,
FORTIS, SANCTA,
E CADVCIS AD ÆTERNA,
E PEREGRINIS AD COGNATA,
VIRGINEM TERRIS,
SPONSAM CÆLO?
QVO TIBI CVRATORVM ABCESSIT
QVOS TAM CVPIDE DESERIS?
NON DESERVNTVR, QVOS SEQVERIS:
NON DESERVNTVR, QVOS ANTECEDIS:
SEQVERIS BEATA BEATOS,
ANTECEDIS VICTRIX TRIVMPHATVROS:
INIS VIAM STRENVE,
PRÆIS VIAM, MONSTRAS VIAM,
COMITER, BENIGNE, AMICE.
ERVNT TECVM, VIVENT TECVM,
SI NON SPERNENT MONITA,
QVÆ CECINISTI PIA SOROR,
VATES IMMORTALITATIS,
CASTA DEI NVNTIA.

BEATA ANIMA,
 QUÆ TE VIS SVBITA,
 ATROX, HORRIDA
 EXPELLIT PVLCRO
 CORPORIS DOMICILIO?
 NON EST VIS, QUÆ ME CONTINGAT,
 NON EST VIS, QUÆ ME COMPELLAT,
 AVT EXPULLAT, AVT PROFLIGET,
 EVOLARE CVPIENTI,
 IMO IAM IAM EVOLANTI,
 VEL RVINA OSTIVM EST.

BEATA ANIMA.

AMATRIX PACIS ET QUIETIS,
 NEMINI MOLESTA AVT INFESTA,
 QVIS TE FVROR EQVI FEROCIS,
 QUÆ PLAGA
 QVOD SÆVVM VVLNVS
 DOMI TVÆ INQUIETAT?
 QUIES MIHI PARTA ERAT,
 PACEM POSSIDEBAM LÆTA,
 PACEM NVNQVAM FINIENDAM,
 QUIETEM NON INQUIETANDAM,
 NIL NISI DOMICILIVM MVTANTI
 NON INTERFVIT QVA OPE MVTARETVR,
 DVM MODO CITO ET STRENVE MVTARETVR,
 MORBI TELO AVT ANIMALIS CALCE
 CORR VAT, QVOD RVITVRVM EST,
 NIL ATTINET AD PACEM,
 NIL ATTINET AD QUIETEM,
 QUÆ RVERE NEQVIT.

M V S E V M.

93

BEATA ANIMA.

QVÆ DEVM AMASTI SEMPER,
QVAM DEVS SEMPER AMAVIT,

QVOD TE FATVM,

QVÆ FORTVNA

IMPLACIDO EXITV

FVNGI VOLVIT?

FATVM MIHI ET FORTVNA

NON EST, NISI DEI VOLVNTAS,

DEI SEMPER PLACIDI,

SEMPER MIHI PROPITII.

AB HOC NIHIL IMPLACIDVM

VEL SENSI, VEL TIMVI.

BENE NON MINVS

EXIT VINCVLIS,

QVI RVPTIS QVAM QVI

SOLVTIS EXIT.

FATVM OPTABILE,

FORTVNA SECVNDA EST,

EVOCANTI IMPERATORI SVO,

CITRA DVBITATIONEM DE IMPERII

ORDINE ET MODO,

QUIETO OBSEQVIO PARVISSE.

BEATA ANIMA.

CORPORE MORTALI LIBERA,

CORPORI IMMORTALI IVGANDA,

VALE ET SALVE, VT VOLVISTI.

NOMEN TVVM, MEMORIA VIRTVTVM,

SPLENDORE GENERIS,

HONORE NECESSITVDINVM

OMNI ÆVO CELEBRABITVR.

PROPRIA TAMEN CLARITVDINE
PRÆVLGEBIT

VIRGO WITGENSTENIA,
FVNERIS SVI PRÆSAGIO,
BEATITVDINIS PRÆGVSTV,
VTRIVSQ. PRÆCONIO EXEMPLOQVE
VENERANDA.

ITERVM VALE, ITERVM SALVE,
INTER HEROIDAS
ILLVSTRISSIMA,
INTER HOMINES DIVINA,
INTER FELICES BEATA.

De hoc epitaphio, non eodem modo sentiebant confessores Musei. Erat, qui hoc genus scripturæ, quasi ad veterum inscriptionum exemplar effictum, „ prorsus damnaret. Ignauorum id inventum esse, aiebat: qui cum pangere „ carmen desperarent, genus carminis „ commentitium, veluti partum aliunde mutuatum supponerent. Hinc illam „ luxuriam, quam genius & lex poetæ „ matis coercere poterat, pronò alueo „ ferri, neque adeo finem verborum, „ nec modum esse. Veterum quoque „ imitationem iactantius quàm verius „ præscribi. Si vastum illud inscriptionum corpus, quod Smetio, Scaligero, „ Grutero tantum debet, & paulo post
Remesio

Reinesio amplificatori & interpreti
debebit, excutiatur; nullum talis li-
centiæ exemplum repertum iri. Mode-
stius ibi rem geri; signari rerum me-
moriam; adiici nonnunquam senten-
tias negotiis vltro insitas aut familia-
res; emicare in loco sapientiæ lumina:
nunquam animaduerti illam acumi-
num, veluti ex scholis declamatorum
sententiose ineptientium, prodigen-
tiam. Imitationis eruditæ decus non
concludi captu vulgi: ingenio singula-
ri & iudicio, cuius vel comes est vel pro-
les moderatio & temperata decori fini-
bus venustas, peropus esse. Quo lon-
gius ab exemplo & licentius disceda-
tur, eo ad monstrosas formas accedi-
propius. Atque adeo iam hac euagan-
di importunitate factum esse, vt pane-
gyricos, si diis placet, aut nescio quod
mixtum ex historia & laudatione
chaos, in hunc habitum adornare, mo-
menta & apices negotiorum talibus
metiri modulis nonnulli artem fece-
rint. Callide illos quidem, quod sani
coloris oratione aut facundia nun-
quam exprimere queant, tam inopi-
nabili

„ nabili sermonis habitu induisse ; vt si-
 „ cut nonnullis vestium generibus cor-
 „ poris vitia artificiose dissimulantur, ita
 „ sub nouitatis improuisæ larua scriptio-
 „ ni inducta, scriptoris infantia conuela-
 „ retur. Sicuti non frustra hæc dici, neque
 „ cacozeliam vanitatis manifestam ferri
 „ inter eruditos posse, in aperto erat: ita
 „ non defuit, qui regi oportere decoris
 „ doctrinæ & modestiæ artibus, non tolli,
 „ hoc imitandarum inscriptionum stu-
 „ dium, contendebat. Mouet me, in-
 „ quiebat, magnorum virorum auctori-
 „ tas: mouet non leuis nec vna ratio. Et
 „ sepulcrorum quidem lapidibus, aut ta-
 „ bulis mortuorum elogia complecten-
 „ tibus, cur denegare aliquis hoc genus
 „ memoriæ velit, non intelligo. præser-
 „ tim in casibus & funeribus nostri sæcu-
 „ li. nam antiquis, post tot sæcula hoc
 „ ritu parentare, vel ad excitationem in-
 „ genii, vel ad condimenta maioris ope-
 „ ris ac diuerticula, quæ nemo morose
 „ abnuat, pertinuerit. Absit modo af-
 „ fectatio frigida ac puerilis, quæ viro-
 „ rum doctorum personas nunquam de-
 „ cer. Sane nisi genius insit, cuicumque
 demum

demum argumento aptatis eiusmodi “
inscriptionibus, non gratiam modo, “
sed omnem æstimationem perdunt. “
Tantum abest, vt credam, bonæ inscri- “
ptionis auctorem esse posse, qui poëti- “
cæ peritiam desperat. Quo occultior, “
minusque descripta legibus est hæc ra- “
tio, eo magis ingenium & indolem suo “
iure decoram referre debet: neque nu- “
merosa non est, licet carminum vincu- “
lis exempta. grauitatis intimæ sine arte “
pondera, arti æmula; simplicitas cultu “
validior, forma sperni indigna, spiri- “
tus expediti vigor, vel trahunt, vel te- “
nent animum. Ipse locus, quem inter “
Poëtæ & Oratoris confinia occupat, “
medius, & aliquid de vtroque mutuata “
affinitas, non cuiusuis esse hominis id “
opus ostendunt. Denique, quem scio “
non infeliciter poëtari, aut dicendi pe- “
ritum esse, cur suspectum de astu fa- “
ciam, si bonam inscriptionem pangit? “
neque ab eorum causa segregem, qui “
aliunde non immeritam in se suspicio- “
nem concitarunt? nisi quod tibi astu- “
tiam audeo exprobare, sed innoxiam “
(ad eum sermo vertebatur, qui modo “

G

mira-

„miraculum virginis extemporalí epita-
 „phio celebrauerat) quando nunc pæ-
 „ne humi repere, nunc assurgere splen-
 „didius; modo Hildeberti canoram pie-
 „tatem, modo Hieronymi grandem spi-
 „ritum, æmulari; iam tempora, iam ge-
 „nios miscere; nec agnosci denique
 „prorsus, nec ignorari penitus velle vi-
 debare. Tu vero, respondebat ille, lon-
 ge melius de fortuita mea garrulitate
 sentis, quàm ego: qui nec ex tempore,
 vix à cura, commendari mea posse scio;
 & nihil aliud à vobis, quàm veniam col-
 loquiis familiaribus familiarem sperare,
 in animum induxi. Modestus autem in
 lucro deputabat, per occasionem litera-
 rum in confessu prolatarum, ea audiuis-
 se, quibus doctiorem se fieri persentisce-
 ret. Accedebat secreta & familiaris di-
 sciplina eius, cui se Modestus applicue-
 rat. is diuersos ætatum genios in Vete-
 rum Inscriptionibus, is de Laurentii Pi-
 gnorii, Jacobi Saliani, Emanuelis The-
 sauri, Octauii Ferrarii Inscriptionibus
 exquisita iudicia, non modestia minore
 quàm eruditione promebat.

Et quandoquidem Modesto saluber-
 rima

rima amatissimi loci otia relinquenda erant, non exigui pretii duxit, quod impetrauerat hospitale donum. Describenda enim non vnus è Museo opuscula, suo forte tempore, sed non statim exitura in publicum, acceperat. Quorum indicem amico in hunc modum consignauit. Exiis, quæ ad rempublicam pertinent ista: REGINA ABDICANS. Continebat ille liber, primo varias variorum, ipsiusque Reginae, de negotio inopinabili Epistolas: deinde censuram curiosorum & temerariorum iudiciorum; causarumque vnde processerunt: denique apologiam & descriptionem animi extra regnum regii. LEOPOLDVS CÆSAR. Quo volumine ante omnia designabantur, rerum animorumque per Interregnum habitus; variaque domi forisque consilia, spes, metusque: subinde Electorum expedita ex impeditis grauitas, constantia sollertia, par tempori, hominibus, negotiis, merita laude colebatur: hinc ad Electi Imperatoris virtutum processu facto, Domus iam diu Augustæ à Rodulpho ad hoc temporis, necessitudo cum Republica demonstrabatur: seque-

batur votum Imperatoris ; & ad extremum Acclamatio ciuis Germani. **MINISTER REGIVS.** sub exemplo ita descriptus, vt magna & singularia viri consilia & opera , vulgo incognita, eadem opera referantur. **MEMORIÆ AVLICÆ.** Duplici scriptura ; Res veras, sub inuolucro Poëticorum nominum, tum ad iocos & ludicra, tum ad seria spectantes; & priuato schemate, reipublicæ immixtas, complexæ. **GERMANIA CONCORS.** vbi de impedimentis concordiaë indomitæ, tum superabilibus ; de caussis male coherentis concordiaë & discordiaë erumpentis; de remediis, quæ optari, quæ sperari, quæ nec sperari possunt, agitur; ex annalibus patriis, & sæculorum serie. Ad literas pertinebant ista ; **PANEGYRISTES.** vbi de vsu & abusu panegytorum agebatur; genus orationis epidiicticæ iuxta diuersos singulorum sæculorum genios signabatur: Germanorum natio aduersus conuitiatorem, qui in Octauii Ferrarii epistolis citra discrimen pronuntiavit, vindicabatur, &, vel vnum Freinsheimii Panegyricum omnes exterorum conatus longo post se interuallo reliquisse

quiffe, ostendebatur. **DECLAMATOR ACADEMICVS**; siue de prisca declamandi consuetudine in Academiis instaurata; tum de more argumenta in personas spargendi, quo maximi viri adolescentum ætatem excitarunt, & desiderio indulserunt, qua occasione etiam respondetur nonnemi, qui stoico supercilio & cynica verborum intemperie, rem sibi quondam strenue factitatum, in aliis obtreptaerat. **MYSTAGOGVS**. siue Dux ad secreta naturæ, vel eruenda, vel explicanda: qua rerum hominumque communicatione, quibus auxiliis, subsidiis, artibus coniuncta mutuaq, ope, aliquid noui magnique operis, post hæcenus elaborata sperari possit. Explet nobilissimam partem descriptio *Societatis Regiæ* in Britannia, quæ naturæ indagatores habet ingenio, experientia, industria summos, & ad summa ipso auspicii Regii omine animatos. **DVELLVM LITERARIVM** in causa publica, priuatis studiis vacare debet, non permittendum quibusuis. idonei non deligendi modo, sed instruendi. exempla & errores. cæci & temerarii certaminis, quod domo instrui

poterat & debebat. Mandata seria, & ad rei momentum, publice faciendum; tum suaforiæ, fortuitæ & obliquæ, ad frontem scenæ sustinendam, & mimum ornandum. Ch. & Bl. pugnae: vtriusque in iis habitus animi, artes, profectus defectusque. iudicium de summa. Erant & plura huius generis, quæ Modesti sarcinis iucundo munere accedebant: cui hac vice de Musei notitia gratulari, & prosperum ad penates reditum precari fas est.


Te autem, Amicorum iucundissime, vt ab initio cœpi, magnopere rogatum velim, vt Modesti epistolas, quas ex promisso ad Museum deinde missitabat, in publicum edere ne graueris. Quod si maui*s Liberinum* ordiri, quem suo tempore *Honoratus* excipiet, perinde de me, deque aliis bene mereberis, vicesque officiorum, quæ à gratis hominibus expectari possunt, experieris.


FINIS.


Scr. M. DC. LXIII.


ad
m
n-
r-
in
e-
&
ci-
ui
&
ri

e,
m
o-
in
fi
n-
e,
f-
e-










JO. HENRICI
BOECLERI
MUSEUM

Ad Amicum.
Editio Secunda.



ARGENTORATI,
Apud SIMONEM PAULLI Bibliop.
—
cld lcc LXXII.

